Q. D. B. V.

DISSERTATIONEM POLITICAM

De

Callidis Hoſtium Conſiliis,

PRÆSIDE

VIRO EXCELLENTISSIMO,

DN. CHRISTIANO Röhrenſeen/

Phil. Pract. Prof. Publ. celeberrimo,

Dn. Patrono, ac Promotore ſtudiorum ſuorum ætatem devenerando,

Publicæ Eruditorum diſqviſitioni exhibet

AUCTOR

FRIDERICUS JACOBUS Leickher/

Lipſienſis.

In Auditorio Majori, Ad D. XVII. Aprilis

A. R. S. cIↄ Iↄc LXXV.

WITTEBERGÆ,

Ex Officinâ Typographicâ MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.

ANNO M DC LXXV.

B. C. D.

PRÆFATIO.

COnſiderans temporum fata, & varias Rerump. viciſſitudines, hominum malitiâ & fraudulentis machinationibus eadem contigiſſe video. Qvapropter cum exercitatione publicâ, iis, qvibus conſtare debebat, rationem ſtudii Academici reddere conſtituiſſem; callida conſilia, qvibus tranqvillitatem Imperii perturbant, civium libertati inſidiantur hoſtes, deſcribere, & qveis remediis, qvâve cautione in iis evitandis opus ſit, oſtendere induxi animum. Argumentum nec à civilis prudentiæ doctrinâ alienum, & perverſo ſeculi genio maximè conveniens. Qvid enim corruptis hiſce moribus freqventius, qvàm per ſan-

ℓa amicitiæ jura, per ſacra legationis, per fœderum, Pacis, Induciarumqve jurejurando confirmatam fidem, aliasqve improbas artes, de qvibus mihi diſſerendi copia dabitur, fallere credulitatem ſimpliciorum, aut qvos invidiâ æmulæ potentiæ hoſtium loco habemus? Ambitio ſiqvidem inſatiabilis mortalium, dum cupidini ſuæ non ſtatuit modum, poſthabitâ omni propinqvi ſangvinis necesſitudine, neglectâ æternâ famæ memoriâ, qvam bonis malisve recordationibus poſteritas proſeqvetur, ad illicita, nec conceſſa tendit. A qvo propoſito licèt & materiæ gravitas, & varietas rerum ingenii vires perexiguas tantoqve òneri ferendo impares, deterrerent: fretus tamen partim benevolentiâ tuâ, humanisſime lector, *partim qvòd in ſpem veniam, tibi laborem hunc, cujus in civili vitâ verſatur uſus, non injucundum fore, auſpicor deſtinatum opus. Qvod ut feliciter, fauſtisq́; fiat ſucces ſibus, tuum,* Summe rerum Arbiter, *auxilium oro atqve obteſtor.*

THE-

THESIS I.

EA ſeculi labes & depravata temporis Conſvetudo eſt, ut ipſæ rerum appellationes confundantur, & vitia ſub ſpecioſis Virtutũ nominibus ſæpisſimè lateant. [a] Subdolâ calliditate decipere alios, pro moribus hominum prudentia videtur. [b] Fallere fidem [c], & honeſtatis Leges utilitate metiri, ſapientiam interpretantur. Hinc tanta dominationis flagitia, & qvicqvid eſt fraudium, qvæ ſublimi in Aulâ ut plurimum regnant, [d] arcanorum conſiliorum & ſecretarum Imperii artium [e] titulum ſibi vendicant.

(a) *Sic* M. Porc. Cato *apud* Salluſt. *de ſuâ ætate qveritur:* Jam pridem eqvidem nos vera rerum vocabula amiſimus, qvia bona aliena largiri, Liberalitas: malarum rerum audacia fortuna vocatur, eò Reſp. in extremo ſita eſt. *Et* Otto *apud* Tacitum Hiſt. 1. c. 37. *criminatur Galbam, qvòd qvæ alii ſcelera, ipſe remedia vocaret: dum falſis nominibus, ſeveritatem pro ſævitiâ, parſimoniam pro avaritiâ, ſupplicia & contumelias diſciplinam appellaret. Prudenter itaqve* Joan. Barcl. Argen. *l. 3. Vir, teſte* Forſtnero, *amœnisſimi ingenii, & omnis elegantiæ compendium, Cleobulum ita loqventem inducit:* Cæterùm cùm virtutes ac vitia non plus ex merito æſtimentur, qvàm ex populari judicio; nihil mirum, ſi conſvetudo, & peccantium claritas atqve ſucceſſus nobilitaverit hanc culpam: qvam ſi premi & eripi cupis, revocanda eſt paulatim ad ſuorum natalium vilitatem. Hoc autem efficies primùm nominis veri dedecore, ut apud te perduellio, conjuratio, perfidia nomi-

netur, non,ut ſolet, magnitudo animi, prudentia, ſocietas , publici boni cura. (b) *Quantum prudentia à calliditate differat , explicat præclarè* Brochmand. Specim. Ethic. Hiſtor. c. 5. p. m. 379. *dicens*, illam ad honeſtatem , hanc ad turpem utilitatem conſilia inſidiis, obſeqviis , blanditiisqve callidis , proditionibus ac aliis neqvitiæ generibus plena dirigere. *Vid.* ejusd. c. 7. de callidit. *Adeò igitur omnes fraudes à prudentiâ removendas cenſet* Hippol. à Collib. in Princ. c. 10. *ut nec leves qvidem admittat, cùm Prudentia à Virtute ſeparari non poſſit. Qvapropter cùm pars Romani Senatûs novam ſapientiam interpretaretur , qvòd à Legatis ſuis Perſeus R. Maced. per inducias & pacis ſpem fuerit deceptus, rectius hoc ſenioribus diſplicebat, non Romanum, ſed Punicarum verſutiarum, Græcæq; calliditatis, apud qvos fallere hoſtem, qvàm vi ſuperare, glorioſius, eſſe affirmantibus* Liv. l. 42. c. 47. Lipſius qvidem l. 4. Polit. c. 13. *Prudentiæ non obeſſe arbitratur , ſi qvid fraudium ipſi admiſceatur.* Vinum, inqvit, vinum eſſe non deſinit, ſi aqvâ leviter temperatum : nec Prudentia Prudentia , ſi guttulæ in eâ fraudis. *Aſt ſalva ſit in cæteris ejus auctoritas, nobis hîc majus Veritatis ſtudium eſt. Fraudem cum Prudentiâ haud convenientius miſceas , qvàm cælum cum terrâ. Virtus Prudentia eſt : Virtus autem cum vitio nihil habet commune. Fraudes aut malum intendunt , aut bonum proſpicientes haud licitis nituntur mediis ; qvod utrumqve à Prudentiâ eſt alienum. Nec facienda ſunt mala, ut inde eveniant bona, ipſius Apoſtoli monitu. Abſit ergo fraus omnis à Prudentiæ commercio , niſi ludatur vocabulis, & fraudis notione veniat , qvod licitæ cautionis eſt.* (c) *Qvod de Timotheo Heracleæ Ponticæ Tyranno* Memnon *in ſtatu ejus urbis ait: ut qvi cætera bonus, ita qvi in præſtandis promiſſis nunqvam fidem fefellerit, illud de pauciſſimis noſtri temporis dici poterit: qvin potius* Machiavelli *probant ſententiam* l. 3. diſp. c. 42. & Princ. c. 18. *dicentis,* qvæ per vim promiſeris, ſine dedecore te obſervare haud poſſe, qvando cauſſa, qvæ te promittere fecerit, non amplius urgeat, præſertim cùm nunqvam defuturæ ſint cauſæ, qvibus inviolatam fidem colorem inducas. *Qvæ etſi ita fieri ſolent, non tamen ita fieri debent ; & juris gentium eſt , etiam ſervare, qvæ vi bellicâ coactus promiſeris.* Forſtn. A. 2. p. m. 245. Anti - Machiav. *l. 3.* theor. *21.* (*d*) *Præclarè* Forſtn. A. 3. p. m. 292. *ait* : Callidos dolos, & reli-

qva

qva perfidioſæ Politicæ capita, qvantumvis publicè damnata ſint, re tamen verâ eſſe argumentum, & caput,& caudam totius ſcenæ aulicæ. Qvalia enim, obſecro, ſunt qvædam multis Principibus uſurpata Imperiorum ſophiſmata? Tacito dominationis flagitia, noſtris Politicis ſtatûs rationes dicta. *Ceterum latiſſimè fraudes & peſſimas neqvitiæ aulicorum artes perſeqvitur, & maximè ſuo exemplo* Auct. compend. Polit. novi, *ſive ut jam rectius inſcribitur*, Politici ſcelerati. *Vid. de illis qvoqve* Lentulus in aulâ Tiber. *Qvocirca aulicorum ingenia nunqvam probanda putat* Huttenus (in Dial. Gvilielmi Inſulani Menapii de Aulâ) *ad fraudem qvippe & malitiam ferè ſunt inſtructa. Nam etſi tota vita ſimulationum plena eſt, tamen Aularum Exempla ſunt perſpectiora. Ibi enim frons, vultus, oculi perſæpè mentiuntur, oratio autem ſæpisſimè. Plur. vid.* in Add. Mart. Nauraths ad Hippol. à Coll. Palat. p. 838. (e) *à qvibus tamen toto cælo differunt.* Nam arcana Reip. conſilia ſunt abditæ & abſconditæ rationes, ab iis, qvi Majeſtate pollent, eorumve adminiſtris, beneficio prudentiæ conſultatoriæ excogitatæ ac applicatæ, ſalutis publicæ promovendæ gratiâ: *aſt* callida hoſtium conſilia ſunt aſtutæ ac malitioſæ agitationes, ſub ſpecie boni & utilis imperantes, aut ſtatum Reipubl. circumveniendi, & evertendi. Agitationes *vocamus, ſiqvidem facta cum verbis conjunguntur:* aſtutas *porrò; nam doli non doli ſunt, niſi aſtu colas.* Plaut. in captiv. malitioſas *deniqve; calliditas enim eſt ea malitia, qvæ vult qvidem ſe videri prudentiam, ſed abeſt ab eâ, diſtatq́; plurimùm.* Cic. 3. de Offic. *nimirum ab aſtuto nunqvam abeſt ſtultitia mixtura & levitatis, eò, qvod inanibus adductus ſuſq; deq; habeat ſolidisſima ſapientiæ Principia. Addimus:* ſub ſpecie boni & utilis: *Nam Calliditas ſub ſpecie honeſti malum finem habet propoſitum, aut ad bonum finem mediis malis, ſed formâ bonitatis incruſtatis aut contectis adſpirat.* Cl. Durrius, Inſt. Eth. Part. 3. Sect. 3. c. 7. §. 9. Finis *horum conſiliorum* proximus *eſt deceptio ac oppresſio incautorum imperantium, aut etiam totius ſtatûs publici ſubverſio:* remotus, *non vera, ſed falſa illa Ratio Statûs.*

THE-

THESIS II.

HAs igitur aſtutias, eamqve malitiam, qvæ vult videri [a] prudentia, â qvâ tamen abeſt diſtatqve plurimum, ut & in tempore intelligat vir prudens, & provideat rectisſimè, ne qvid inde Respubl. detrimenti capere posſit, neceſſe eſt. [b] Qvo pacto autem eos, qvi medendi artibus dant operam, in cauſsas generaqve morborum ſedulò prius inqvirere videmus, qvàm medicinam faciant, & curationem malè adfectis partibus adhibeant: ita principiò improbæ qvoqve machinationes & fraudulenta hoſtium conſilia indaganda explicandaq; ſunt, ut eò faciliùs meliùsqve, qvæ remedia his malis inveniri posſint, & qvâ cautione opus ſit, cognoſcatur.

(a) *Qvod de Gallis & Hiſpanis vulgò circumfertur; Gallos prudentiores eſſe qvàm videantur: Hiſpanos autem prudentiores videri, qvàm ſint; hoc inter perſonas ſingulares uſu venire deprehendimus, qvi prudentiæ adfectant laudem, vim ejus non capiunt. Qvos affabre depingit* Fr. Bac. de Verulamio Serm. fidel. 26. de Prudentiâ apparente. (*b*) *Duo omninò ſunt, teſte* Cic. l. 1. off. *modi, qvibus hominibus invicem injuria fieri conſvevit, aut vi aut fraude: qvorum fraus qvaſi vulpeculæ, vis leonis videtur. Qvamvis autem utrumqve alienisſimum ſit ab hominis naturâ, fraude tamen magis delectantur, ejusq; freqventior eſt uſus, partim qvòd in noſtrâ poteſtate ſita, ingenii*

acie

acie & callidâ ſolertiâ conficitur, cùm bellorum contrà exitus & vis externa fortunæ arbitrio ſit committenda (vid. quæ in hanc ſententiam Savedr. Symb. Polit. 84. *egregiè monet) ; partim qvòd adverſus eaſdem difficillima ſit cautio. Nam veluti morſum venenatorum animalium tùm demum ſentis, qvum virus in membra latè ſe diffuderit : ita ejusmodi in Rempubl. molitiones prius nocent ac peſſundant Statum Reipubl. qvàm nocituræ intelligantur.* Aperta ſiqvidem odia, *inqvit* Tacit. Hiſt. 4. c. 24. armaqve palam depelluntur ; fraus & dolus obſcura, eoq; inevitabilia. *Hinc Rhadamiſtus cùm Mithridatem Armeniæ R. invadere ſtatuiſſet, vim differendam, & potiorem dolum, qvò incautum opprimeret, arbitratur.* Id. Ann. 12. c. 44. *Ut rectè dixerit* Suffetius Albanorum Dux (*apud* Dionyſ. Rom. Antiqv. 2.) invictas hoſtium vires & fortunam non vi, ſed iis artibus, qvibus imprudentia fallitur, ac dolis & fraudibus facillimè everti.

THESIS III.

CÆterùm iſtarum molitionum duplex eſt ratio, cùm vel totũ Reipubl. corpus ſibi inſidiarum ſcopum proponant; vel in eorum potisſimùm, qvibus ſummum rerum judicium DEUS permiſit, redundent capita. Utrinqve vel ab internis, & maximè occultis, eoq; acerbioribus, & plus metuendis Patriæ inimicis; vel ab externis hoſtibus procedunt, qvi etſi arma ad tempus, hoſtilem tamen animum, erupturum, ubi occaſio conatibus velificari posſit, nunqvam deponunt. Teſtantur hoc interne-

cina inter Gallos & Hiſpanos, Gentemqve Auſtriacam odia, [b] qvi poſt tot ſancitas Pacis Transactionumqve leges [c] per latus ſe petere & occultis Conſiliis Reipubl. ſtatum invicem perturbare non deſiſtunt.

(a) *Cùm bella Civilia & inteſtini motus neqve parari posſint, neqve haberi per bonas artes*, Tacit. A. 1. c. 9. *tanto cum majori periculo conjuncta ſunt, qvia inferuntur potiùs, qvàm indicuntur. Nam ars, & dolus, & inſidiæ hîc obſcura ſunt, ideò difficulter poſſunt præveniri & evitari.* Boxhorn. Inſtit. Polit. l. 1. c 14. §. 1. & 2. *Deſcribit hæc domeſticorum bellorum mala luculenter* Anti-Machiav. *l. 3. th. 1. & Germania Galliaqve hujus calamitatis documenta præbent clarisſima.* (b) *Plerumqve vicinæ gentes ac familiæ illuſtres ſe invicem proſeqvuntur odiis. Nota ſunt inveterata iræ inter Anglos & Gallos, Scotos & Anglos, Danos & Svecos, Ungaros & Turcas; ut de aliis taceam. Odia hæc oriuntur, vel qvòd natura longè diverſa regionum varietate finxerit gentium ingenia, & tanta inter illas morum, ſtudiorum, inſtitutorum ſit diſparitas, qvanta inter aqvam & ignem: vel qvòd crebra invicem geſta bella acceptarum datarumqve mutuò cladium eas ſubinde admoneant; vel qvòd altera alterius potentiam benignioremq; fortunam ex invidiâ metuve ſibi imaginetur intolerabilem: vel qvod aliæ publicè privatimq;, ſæpenumero leves & ridiculæ occaſiones disſidia excitent foveantq;. Gallos & Hiſpanos præter ingentem morum & ingeniorum diſcrepantiam, qvam affabrè depingit* Auctor Miniſterii Card. Richelii l. 15. c. 5. *continuis ferè bellis committit dives Burgundiæ Belgicaq; poſſesſio, indignantibus Galliis, tantum ſibi bolum præter ſpem è faucibus ereptum eſſe.* G Horn. Orb. Polit. c. 3. n. 5. & cap. eod. can. 2. n. 12. *Adverſus Auſtriacam domum Gallos inde à* Franciſci I. *temporibus nihil æqvè exſtimulavit, qvàm ambitio, & potentiæ æmulatio, qvotidiana orbis mala. Franciſcus ipſe, cum* Carolo V. *pacem pangens, dixit, pacem illam non poſſe eſſe perpetuam; ſubditâ*

ratio-

ratione: qvia ipſe non poſſet ferre parem, nec Carolus ſuperiorem. V. Burgold. in Notit. rerum Imperii Rom. Germ. *P. 1. Diſc. 12. p. 285. ſeqq. Ex diuturnis & cruentis bellis inter Anglos & Scotos enatum odium tandem capitale & hæreditarium factum eſt, qvod etiam nulla ſuperiorum Regum amicitiâ, vel cognatione, aut fœderum tabulis extingvi potuit. Et Rex Jacobus nomen Magnæ Britanniæ Regis hâc maximè de cauſſa aſſumſit, ut animos invicem abalienatos communi nomine ſociaret.* Lanſius, in Conſult. orat. contra Britann. *Conf. pluribus* Bodinum, 5. de Republ. c. 1. Beſoldum Diſſert. polit. de naturâ populorum, & Felwing. Diſſert. polit. de faction. c. 4. n. 1. (c) *Ut enim aliarum Transactionum nunc non faciam mentionem, à Caroli V. & Franciſci I. temporibus ad noſtram usq; ætatem decies inter Hiſpaniam & Galliam Pax coaluit*; Madriti 1530. Cameraci 1529. Bommii 1539. Nizæ 1538. Creſpii 1544. Vancellis 1555. Caſtri Cambreſii 1559. Veryini 1598. Perpiniani 1659. *& novisſimè* Aqviſgrani 1668. *Dum enim neuter de ſuo jure latum, qvod dicunt, ungvem cedere, & quisqve antiqvas prætenſiones retinere vult, malè curatum vulnus facilè recrudeſcit.*

THESIS IV.

OMnes autem, qvi libertati ac tranqvillitati Reipubl. inſidiantur, imprimis dant operam, ut animos civium adverſus periculoſas machinationes ſecuros reddant faciantq;, ut fraudulenta, infenſa tamen, tela minùs prævideant. Nemo enim celerius opprimitur, qvàm qvi nihil timet, & freqventisſimum calamitatis initium ſecuritas eſt. a Deletus qvondam per ſecuritatem cum legionibus Qvintilius Varus. Maximæ per vicos Marſorum, ſecurè, nullo me-

tu,nullis ante poſitis vigiliis viventium,ſtrages â Germanico factæ. [b] Qvin & nuper Belgarum gens,ſecuritate qvaſi alto ſopita ſomno,nimiâq; munimentorum fiduciâ, [c] ultimum Libertatis ſuæ diem habitura fuiſſet, ſi Franciæ Rex, uti ſciebat vincere, ita victoriâ rectè uti noviſſet. Qvapropter non immerito ſtultisſimos Forſtnerus [d] appellat, qvi minis, & hoſtilem animũ oſtendentibus verbis temperare non poſſunt, ignorantes profectò, profeſſa odia perdere vindictæ locum. Pertinere huc etiam videtur ille mos, qvem de Hiſpanis qvidem tantùm Bonæfidius [e] aſſerit, omnibus tamen, qvi præſunt imperio, communis eſt, humaniter tractare, qvos ad ſervitium & cædem ſibi deſtinârunt. Cujus rei Hunniadis, [f] Colignii, [g] Gviſiorum, [h] Martii & Thuani, [i] aliorumqve horrendum ſupplicium atqve tragicus exitus exempla clarisſima ſuppeditant.

(a) Vellej. l. 2. c. 118 *ubi cladem illam Varianam pariter commemorat. Hinc* Paul. Warnefrid. *l. 1. c. 16. ita de Longobardis:* cùm nihil adverſi ſuſpicarentur, & eſſent qvieti, longa nimis ſecuritas, qvæ ſemper detrimentorum mater eſt, eis non modicam perniciem peperit. *οὐδὲν οὔτε φυλαττομένοις οὕτω δεινὸν ὡς ἀφύλακτον εἶναι· οὔτε ὀλιγωροῦσιν ἀπροσδόκητον παθεῖν.* Non qvicqvam

qvam tam formidabile eſt, qvin vigilantiâ præcaveri; neqve ullum malum eſt, qvin oſcitantibus evenire poſſit. Demoſth. ad Athen. de hoſtibus Exord. 49. (b) Tacit. A. 1. c. 50. (c) *nimia fiducia qvanta calamitati ſoleat eſſe*, Æmyl. Prob. in vitâ Pelop. *confirmat.* *Qvapropter nunqvam adeò aut naturæ loci, aut arti fidendum eſt, ut ſecuritatem generent.* Nihil enim tam altè, *inqvit* Alexander M. ap. Curt. *l. 7. c. 11.* natura conſtituit, qvò virtus non poſſit eniti: *nec qvicqvam tam inſuperabili vallo præcluſit, qvod non penetret audacia, cui aliqva conandi ſpes relinqvitur.* *Qvæ urbes, munitiſſimæ alioqvin, per negligentiam & ſecuritatem fuerint occupatæ, vid. ap.* Zevecot. in Not. ad Flor. *l. 2. c. 7.* (d) A. 2. p. m. 250. (e) in not. ad Lipſ. Epiſt. conſult. n. 78. *vid. &* Auctor Arcan. Hiſp. dom. c. 17. n. 16. *Simili modo Turcarum Imperatorem erga ſuſpectos ſibi ac nimium potentes Proceres maximis donis aliisqve benevolentiæ ſignis celare odium, meminit* Ricautius in noviſſ. Deſcript. ſtatûs Imperii Ottomann. c. 17. (*f*) *Hunniadis exitium, & qvo pacto Rex Ladislaus omnem ei inſenſi, ob Ciliæ comitis cædem, animi ſuſpicionem ademerit, deſcr.* Æn. Sylvius Hiſt. Boh. *c. 67. & 68.* (*g*) *de cæde Colignii (qvem Carol. IX. Galliæ R. fratrem etiam ſuum tunc, cùm invictimam ſtatus ipſum jam deſtinaviſſet, appellâſſe dicitur) nuptiis illis feralibus Pariſinis leg.* Thuan. Hiſt. l. 52. (*h*) *mirandum ſanè, qvantâ ſecuritate impleverit* Henric. III. *Gviſii Ducem. Cùm enim ab aliis, tùm præcipuè à matre non ſine lacrumis admoneretur, præcaveret inſidias, & imminens periculum effugeret, reſpondit:* tale qvid de Rege ſe perſvadere ſibi haud poſſe, memorem eorum, qvæ ab ipſo ſibi promiſſa eſſent, nec credibile eſſe, tàm diabolicam machinationem in corde Regis latere poſſe. *Vid.* Relat. de morte Gviſii ducis Honorii Theſaur. Polit. inſerta *p. m.* 622. (*i*) Qvinqve Martii & Thuani *interitum* Benj. Priol. de reb. Gall. *l. 1. n. 6. memoriæ prodidit, erga qvos* Ludovicus *Rex ita odium occultavit, ut eo ipſo die, qvo in vincula dare conſtituerat, eos non blando ſolùm alloqvio, ſed oſculis inſuper additis ſecuros redderet.*

THESIS V.

CÆterùm ut ſibi animos hominum devinciant, & ad voluntatem ſtudiaqve ſua pertrahant, infimam plebem annonâ, potentiores muneribus & honorum ornamentis amplisſimis, omnes largitionibus corrumpunt. Perlegentibus qvippe Reipubl. Romanæ vicisſitudines, qvicunqve Dominationem ſibi acqvirere ſtuduerunt frumentariâ largitione & agrariis legibus, fatalibus tamen plerumqve auctori, aucupatos fuiſſe populi favorem conſtabit. [a] Nec antiqviorum illud temporum dehoneſtamentum fuit, ſed maximè præſentis ſeculi, aliorum Principum miniſtros auro corrumpere, atqve ſubjectos populos ad rebelliones illicere. Novit hoc argenteo hamo piſcari Hiſpania. [b] Novit Galliæ Rex Ludovicus iſtis corruptionibus domi conſilia & concordiam, foris vim & virtutem tollere, [c] ut qvod Jugurtha Romam euntibus Legatis mandatum dederat, id ipſum Oratoribus ſuis qvoqve præcipere videatur; omnes mortales pecuniâ aggredi, cujus

tanta

tanta eſt apud homines vis, qvibus decus, pietas; poſtremò honeſta atqve inhoneſta qvæſtui ſunt, ut bonum publicum privatâ gratiâ devincatur.

(a) *Primus qvi frumentariis largitionibus & Lege agrariâ novandis rebus dedit operam*, Sp. Caſſius *memoratur*. Liv. l. 2. c. 41. *cui poſtea ſucceſſit* Sp. Melius. *id. l. 4. c. 15.* Tib. & C. Gracchi, Appulejus Saturninus, *de qvibus* Flor. l. 3. c. 14. 15. & 16. *Nullus tamen horum ſuâ morte defunctus, ſtructas Reip. inſidias ſangvine expiârunt. Confirmata tamen Auguſto bis artibus cuncta regendi poteſtas*, Tacit. A. 1. c. 2. Bœcl. Annot. ad h. l. n. 5. & 6. (b) *Reges Hiſpani* (*verba ſunt* Auct. de Arcan. Hiſpan. Dom. c. 24.) *non minus haſtis argenteis & aureis pugnare didicerunt, qvàm ipſorum milites ferreis: fortè etiam decuplo plus iis efficiunt, qvàm milites ferreis armis. Ideò nullis largitionibus, qvantumvis magnis, parcunt, qvò vel eos, qvi Regibus & Magnatibus â conſiliis & ſecretis ſunt, aureo illo imbri ſibi obſeqventes reddant, vel Præfectos Caſtrorum Caſtellorumqve perpluant, & ſibi ſubjugent. Qvod &* Ancellus, *Orator Regis Galliæ, in conventu ordinum Germaniæ A. 1579. Hiſpanis objeciſſe fertur. Vid. præterea* Bonæfid. in Not. ad Lipſ. Epiſt. n. 48. (c) *Hinc cùm tàm continuo victoriarum curſu ſtupente omni Europâ Fœderatum Belgium fermè oppresſiſſet, plus ſe auro gratiâqve ſuorum hominum, qvàm ferro & vi armatâ profeciſſe, ſunt qvi dixiſſe Regem adſirment; qvam ob cauſſam ſolemnem qvoqve pompam, qvâ triumphantis in modum Pariſiis exciperetur, recuſaſſe videtur.* Sam. Mareſ. diſc. de revolut. A. 1672. *Qvantos ille motus largitionibus in Hungariâ excitaverit; qvantas factiones adverſus optimum Poloniæ Regem* Michaëlem Koributhum Visnioviczium *conflaverit, omnibus notum eſt. Vid.* Diſcurſ. pol. Anonym. de Tempore, *ubi & Catalogus expenſarum in ſingulas Regiones extat. Nec aliis forſitan armis, qvàm aureis,* Lobkovvizii, *ſummi qvondam in Aulâ Cæſaris & principis Viri, expugnatus animus, ut in Patria commodum, Imperatoris incrementa, & penè vitam peſſimè conſpiraret. Qvod & conſtans adſirmat fama*

&

& Auct. Rel. ex Parnaſſo ad Aul. Gall. de fato Potèntiæ prædicti Principis, *licèt perobſcurè, quodammodo ſignificare videtur.*

THESIS VI.

INter alia verò callida hoſtium conſilia, qvibus florentes aliorum res labefactare nefariè moliuntur, illud freqvens & perniciosiſſimum eſt, ſemina odiorum jacere, & per diſcordiam dividere in factiones populum. [a] Hæc enim labes, hoc venenum repertum, qvod & æternas opes frangat, & magna Imperia mortalia efficiat; cùm omne Regnum (dicente Divinâ illâ Sapientiâ & Servatore generis humani) diviſum contra ſe, diſſolvendum ſit. [b] Unde diſſidiis occaſionem dare, & ſerere inter ordines Belgii disſidia, Auſtrii atqve Lipſii erant ad Regem Philippum II. monita, tàm fraudulento conſilio, qvàm proſpero ſucceſſu. [c] Ita non modò Turcæ noſtris diſſenſionibus clari per noſtra vitia invaluerunt, ſed per eadem tuti qvoq; ſunt illi barbari, qvi dudum funus eſſent, & ſolum in hiſtoriâ nomen, ſi vires & conſilia jungeremus. [d] Sed converſis ad civile bellum animis, externa ſine curâ habentur. Proinde ſeriò gaudentes

dentes, Chriſtianos, odio aut ambitione incenſos, & aliis deeſſe, & in propria ſævire viſcera, publicis precibus A. 1607. ob excommunicatos à Paulo V. Venetos Deo gratias agebant, precabanturqve, ut, qvod imperio Turcico benè verteret, excitatas in Italiâ diſcordias ſineret eſſe diuturnas. [e] Non prætermittenda hîc eſt illa qvæſtio, expediatnè hoſti, diſſentientem adoriri populum? Ego uti incomparabili Forſtnero lubens aſſentior, annotanti, [f] tùm proſperè invaſiſſe diviſam inteſtinis odiis hoſtes Rempubl. ſi alterius partis ſibi arma conjunxerint; ſic contra qvicqvid intra furoris conceptum eſt, urgente externo metu, in hoſtium capita effuſum eſſe video.

(a) *Concordia* uti *res optima*, & fundamentum Rerumpubl. Cic. l. 2. off. *de qvâ verè* Petr. Aldobrandinus Cardin. *dixiſſe videtur*, Civium felicitatem non ſolùm ex concordiâ naſci, ſed eâ etiam qvaſi pabulo qvodam nutriri: *ita Diſcordia malorum omnium extremum, ex* qvâ omnes calamitates, qvæ Rempubl. agitare ſolent, ſcaturiunt. Machiavell. *l.* 3. Hiſt. Flor. Si enim hoſtibus eligendi facultas daretur, qvas mentes nobis imprecentur, nihil aliud, qvàm ſeditionem optaturos, Otto apud Tacit. Hiſt. 1. c. 83. ait. Hinc *inter cauſſas everſionum Rerumpubl. diſſidia civium numerat* Boxhorn. Inſtit. pol. l. 1. c. 16. §. 4. *Nam omnia naturæ opera amicitiâ & concordiâ conſervantur, & contrà hâc deficiente, illa qvoqve extingvuntur & pereunt: ſiqvidem cauſſa mortis alia non eſt,*

qvàm diſcordia partium & violenta convulſio, à qvibus vita conſervatio pendet. Idem prorſus in Rebuspubl. accidit; uti eas conſenſio communis in unum coëgit; ita majoris aut potentioris partis diſſenſio diſſolvit viciſſim & diſſociat, aut novas iis inducit formas. Unde in nihil aeqvè incubuere, qvibus ſubvertendæ Reipubl. propoſitum fuſit, qvàm ut amicitias imperantium parentiumqve, aut procerum Reipubl. & plebis in ſimultates verterent, & concertantium validiori parti, qvæſito ejus favore, ſe adjungerent. Qvem in finem Galliæ Monarcha non in Germaniâ tantùm, ſed & alibi locorum ſuos magno impendio hactenus aluit proxenetas, qvibus ad exemplum Manuelis Commeni id effecit, ut nulla ferme ſit Aula vel Civitas, in qvâ non addictum ſibi hominem habeat. Fuere itaqve eruntqve diſſenſiones, &, qvæ inde oriuntur, certamina factionum, pluribus populis magis exitio, qvàm bella externa, qvàm fames morbive, qvæqve alia velut ultima publicorum malorum Reipubl. eveniunt. Qvas olim in Germaniâ primùm, poſtea in Italiâ Gibellinorum atqve Gvelphorum *infauſta nomina excitárunt, de qvorum orig. vid.* Machiavell. l. 1. Hiſt. Flor. Benvenutus ad Guilielmum VIII. March. Montferr. libr. ſing. G. Horn. Orb. Imp. p. m. 14. *Qvantopere factiones illæ* Gviſiorum atqve Hugonottarum *Franciam olim dilacerárunt! Qvàm cruentis bellis Anglia flagravit,* Eboracenſis & Lancaſtrenſis *familiæ feralibus inter ſe, & non niſi internecione alterius extinctis inimicitiis, vid.* Horn. Orb. imp. in deſcript. Regn Franciæ & Britanniæ. *Spontaneâ tamen malitiâ & invidioſâ magnitudinis æmulatione odia immerentibus populis, maximè Chriſtianis, ſubjicere, & ad rebellionem concitare, nemini probari poterit, & ab æqvitate maximè eſt alienum. Qvod ſi verò in bello aliqvo manifeſto & pro ſalute tuendâ contra alios, qvi qvietem noſtram laceſſunt, fiat, defenſione juris naturalis excuſari poſſe videtur, cùm eadem cauſſa, qvæ bellum juſtum efficit, illam qvoqve diſcordiam reddat licitam.* Forſtn. not. Pol. ad A. Tac. 12. c. 48. Didac. Savedra Symb. pol. 90. (b) *Matth. 12. v. 25. & Luc. 11. v. 17.* (c) *Cùm generale fuerit* Auſtr. & *miniſtri ſui* Eſcovedi *axioma, ex Hiſpanicâ ſcholâ profectum:* Diſcordias inter proceres Orbis alendas fovendasqve eſſe, ut, qvi univerſi non poſſunt, ſinguli carpantur, *ſvadebant illud qvoqve in litteris d. A. 1577. remedium in redigendis in poteſtatem Batavis* Philippo II. *ut inter nobili-*

lita-

litatem & plebem ob religionem & libertatem conſcientiarum ſerat disſidia, Thuan. l. 64. Lipſius *autem* in Epiſt. Conſultat. A. 1595. ad virum principem perſcriptâ, utrum pax, bellum, induciæ cum Gàllo, Anglâ, Batavis expediat, *monet*, ut per falſam Pacis ſpeciem occaſionem det disſidiis: habere enim odia, factiones & ſua vulnera fœderatos, ſed occuli ea omnia, impendente magno illo metu, qvi æqvaliter tangat omnes. *Nec res profectò eventu caruit, cùm factis induciis odia repente cineribus tecta accepto fomento in inteſtina bella exarſerint. Malum qvippe in liberis Rebuspubl. penè perpetuum, ſi foris hoſtem non habent, domi ut exitialibus furiis agitentur. Vid. ad hanc* Lipſ. Epiſt. Bonæfid. ſtrict. pol. n. 43. (d) Zevecot. in not. pol. ad Flor. l. 2. c. 2. Diſſert. d. Occaſ. apud Honor. in Theſaur. pol. Forſtn. l. omiſſ. p. m. 550. (e) Zevecot. in not. ad Flor. l. 2, c. 2. *Sic* Tacit. de morib. Germ. c. 33. Maneat, qvæſo, duretqve gentibus ſi non amor noſtri, at certè odium ſui, qvando urgentibus Imperii fatis nihil jam præſtare fortuna majus poteſt, qvàm hoſtium diſcordiam. (*f*) *ad* 1. An. p. m. 96. *accedit noſtra ſententia* Machiavell. diſcurſ. d. Republ. l. 2. c. 25. Zevecot. ad Flor. l. 3. c. 5. *Inde* Turcas Germaniam non diſcordem, ſed concordem invadere, *obſervatum* G. Horn. orb. Pol. c. 1. can. 1. n. 11. §. 7.

THESIS VII.

JUs qvoqve gentium, & ſacra Legationis in obtentum ſceleris ſæpisſimè ſumuntur, aut transfugarum ſimulatâ fide Reſpubl. in periculum adducitur. [a] Qvid enim freqventius, qvàm ſub Legatorum ſpecioſo, & qvod jure gentium defenditur, nomine latere ſpeculatores? [b] Qvi poſtqvam perpetuum & ordinarium nanciſcuntur munus, facillimè ingenia ac

mores Imperantiū & Conſiliariorum, ſubditorum opes ac potentiam, munimenta Imperii, & qvæcunqve arcano conſilio Reipubl. ſecuritas celari poſtulat, perſcrutantur, & venturo hoſti magno ſuo commodo, noſtro maximo malo produnt. Cæterùm ut ii, qvi ſancto Legatorum munere, & inviolabili titulo contra publicam Reipubl. tranqvillitatem conjurationes & proditionum facinora moliuntur, dignas ſceleris pendant pœnas, æqvum, & juſtitiæ Legibus conveniens eſſe arbitror. [c]

(a) *Sic* Zopyrus *&* Sex. Tarqvinius *ſimulantes transfugarum perſonas, & in fallaciam, qvò major fides eſſet, dilacerantes verberibus corpora, alter Babylonem, Gabios alter in poteſtatem redegerunt.* Juſtin. l. 1. c. 10. Liv. l. 1. c. 53. *Simili per ſubornatos transfugas arte, &* Alphonſus VIII. *Caſtulonenſis Rex Zoritbam à Lupo qvodam nomine occupatam arcem recepit.* Baptiſt. Fulgoſ. l. 7. dict. fact. mem. c. 4. & Hazenius Cæſareæ in Africâ R. Muhametem Cherifium Feſſæ Regem 1556. *è medio ſuſtulit.* Thuan. l. 20. (*b*) ut ſpeculentur potiùs, qvàm ut ullum aliud Legationis officium impleant, mitti interdum & hærere ſolent Legati, exploratores magis, qvàm oratores, *inqvit* Marſelaer de Legato l. 2. diſſ. 17. Sic Romani ad Antiochum Legatos mittebant, qvi ſub ſpecie Legationis Regis apparatum ſpecularentur. Juſtin. l. 31. c. 4. (*c*) *Diſcedo hic à Viri ſummi* H. Grotii d. J. B. & P. l. 2. c. 18 §. 4. *ſententiâ, & Legatos, hoſtilia in ſtatum publicum tentantes, amittere ſuam ſanctitatem adfirmo, cùm privilegia ſcelerum facinorumqve impune & ſecurius patrandorum neutiqvam velamenta eſſe debeant, nec jus gentium datum ſit, ut alios lædant, ſed ne ipſi lædantur; indigni*

adeò,

adeò, qvi eodem defendantur, qvod ipſi non obſervant & cuſtodiunt. Magnif. Dn. Zieglerus in aureis animadverſ. ad h. Grotii l. Sagittar. in obſerv. ad l. 1. c. 18. Clapm. d. Arcan. Rerump. Hottoman. de Legato. Burgm. in Annot. ad Per. 13. Stypm. de ſincer. *ſed cùm omnia argumenta, qvæ in contrarium objici poſſent, dilucidè explicaverit* Horn. l. 2. de Civit. c. 8. n. 6. & ſeqq. *ſupervacaneo ſtudio plura non addam, præter illud* Marſel. de Legat. l. 2. Diſſ. 13. Tantum abeſt, ut libertas licentiæ manum porrigat, ut etiam majori pœnâ digni judicentur ii, qvi honoribus & dignitatibus aucti, privilegiisqve muniti, iisdem ad injuriam aut contumeliam indignè abutuntur. *Planè ad Regum prudentum judicium. Ita enim* Theodatus Rex Gothorum ad Legatos Juſtiniani Imp. apud Procop. l. 1. Goth. Exiſtimant homines, fas eſſe, vel interficere Legatum, ſi is in Principem, ad qvem mittitur, ſit injurioſus, aut alienum matrimonium violet. *Et* Philippus II. *Hiſpaniæ Rex, cùm Venetorum legatus familiam ſuam adverſus juſtitiæ adminiſtros violentam eſſe juſſiſſet, ad Principes Chriſtianos ſcripſit*, ſe nolle Legatos ſuos immunitate muneris juſtitiâ ſanctiores eſſe; qvin legibus eos regni conveniri & condemnari poſſe, ſi qvando facinus qvodpiam ab officio aut mandato ſibi impoſito alienum commiſiſſent. *Conf.* Chokier de Legat. c. 46. Kirchn. 2. de Leg. 1.

THESIS VIII.

PRogredior jam ad alteram fraudium partem, & qvidem eam, qvæ ad Imperantes, & qvi ſummo Regimini præſunt, præcipuè pertinet. Cujus generis cùm multa extent conſilia, amicitiæ callida ſimulatio, [a] & arctisſimæ adfinitatis ſubdola conjunctio, [b] primas ſibi partes vendicant. Per hanc ſiqvidem uti maxima datur fallendi copia, ita illa apud concordes

vinculũ charitatis, incitamentum irarum apud infenſos eſt. Qvo nomine Philippus Macedo ac Cæſar Auguſtus obfuſcandi laudes ſuas ſcriptoribus materiam præbuerunt. [c]

(*a*) Malum ut turpe, ita freqvens, & ſub prudentiæ nomine olim hodieqve in fraudem humani generis adornatum, ab iis, qvi omnium actionum conſiliorumqve ſcopum & modum in potentiæ cupiditate collocant. Bœcl. Comment. in Tacit. An. 1. c. 10. n. 6. *Rara profectò eſt inter Principes vera, nec utilitatis ſpe rumpenda Amicitia, & qva, ut inter privatos, ſolâ virtutis pulchritudine placeat. Taberna ſimile eſt totum aurati liminis genium; in qvâ fuci venduntur, ubi nihil eſt ſincerum, omnia perſonata. Scilicet* fumum vendere privatis interdictum, ſolorum Regum mercaturam eſſe, argutè Boccalinus dixit cent. 2. c. 65. *Inde ſolenne eſt Principibus, qvi occultas ſimultates inter ſe gerunt, donec erumpant, interim donis & muneribus, & legationibus nova regna, conjugia, victorias, natum regni haredem gratulari, & omnia benevoli animi ſigna utilisſimâ ſimulatione præferre.* (*b*) Sparguntur enim â Regibus filiæ aut ſorores in eos, qvos fallere amicitiæ ſpecie volunt, vel ad tempus placare: nihilqve deinde ſui ſangvinis pignoribus, nihil nominum, qvæ mutuò inierunt, reverentiâ moti, pacem & bella ex temporum & fortunæ æſtimant ingenio. Iſtæ demum affinitates pulcherrimæ, qvæcunqve regnum ſtabiliunt, alioqvin omnium nexuum jura, omnisqve ſangvinis charitatem inhumana necesſitas negligit. Barclaj. Argen. l. 3. *Hiſpanorum in contrahendis conjugiis ejusmodi artem* deſcr. Auct. Arcan. Hiſpan. dom. c. 21. (c) *De* Philippo Macedone Juſtin. l. 9 c. 8. *tradit*, qvod amicitias utilitate, non fide coluerit, & in odio finxerit gratiam. *Idem Arrubam Moloſſorum Regem, Philippi affinitate incrementa Regni ſperantem, proprio Regno ſpoliavit.* cit. Auct. l. 7. c. 6. Auguſtum Lepidum, *Triumviratûs ſocium, ſpecie amicitiæ decepiſſe*, Antonium *eidem ſubdolæ affinitatis pœnas ſolviſſe*, Tacit. A. 1. c. 10. *commemorat. Vid.* Förſtn. ad h. l. not. *Hinc non detrectâſſe Cæſarem*

rem matrimonium Antonii *filiæ*, *ſcribit* Dion. l. 46. ratum, nihil ſibi impedimenti fore ex his nuptiis ad ea, qvæ contra Antonium animo moliebatur, qvippe nec patri ſuo Cæſari affinitatem cum Pompejo obſtitiſſe, qvò minus, qvæcunqve vellet, adverſus ipſum ſuſciperet, videbat. *Exempla eorum plura, qvibus connubialis fœderis vinculum hoc pacto impoſuit, ex veteri & recentiori hiſtoriâ ſuppeditat* Schmidel. ad Boxhorn. de J. R. Diſſ. 15. p. 485. *Prænunciâſſe videtur Daniel c. 2. v. 43. has affinitatum fraudulentas & diſſentientes conjunctiones, dum ita in explicatione ſtatuæ Nabuchodonoſoris inqvit:* Qvod autem vidiſti terram miſtam cum teſtâ luteâ, miſcebuntur ſemine hominis, ſed non adhærebunt ſibi alter cum altero, ſicut ferrum non miſcetur cum teſtâ.

THESIS IX.

SImilis eſt huic callida, Imperantibus tamen uſitata perpetuò ars, per fœderis ſanctam olim apud Romanos aliasqve gentes religionem, [a] per Pacis atqve Induciarum ſacratam fidem decipere hoſtes. [b] Qvippe qvibus ſolemne, jamqve conſvetudine pro nihilo habetur, licèt inde vincula humanæ ſocietatis diſſolvantur, tempus fidei perpetuitate utilitatis æſtimare, modò his, modò illis partibus accedere, atqve ſancire & reſcindere fœdera, prout temporis ratio, ac animi libido poſtulat. [c] Reperiuntur enim, qvi cum Julio II. Pontifice non aliter contrahunt, niſi fallendi cauſsâ. Et cum

Galliæ

Galliæ Rege Henrico IV. pacem atqve fœdera hâc tacitâ conditione ſemper feriunt, ut, ſi rebus ſuis utile eſſe exiſtimârint, posſint rumpere.[d] Pax verò & Induciarum ignava mora qvantis patet inſiduis?[e] Veteres iſtæ artes ſunt, Romanis jam in debellando Perſeo,[f] Auguſto in Pompejo devincendo,[g] uſurpatæ; qvas novas ex Lipſii conſilio fecit Hiſpaniæ Rex, duodecennalibus cum fœderatis Belgis induciis;[h] & ſingulari calliditate Turcæ contra vim Germanorum his temporibus utuntur.[i]

(a) Summam fuiſſe Romanis fœderum Religionem Flor. l. 2. c. 5. *teſtatur, qvæ, qvo pacto per fæciales & Patrem Patratum ſolenniter ſancita fuerint*, Liv. l. 1. c. 24. *recenſet. Conf.* Dominic. Flocc. & Pomp. Lætus de Magiſtrat. & Sacerdot. Pop. Rom. *Aliarum gentium in feriendis fœderibus mores, & qvemadmodum Medi, Arabes, Scythæ, ſangvine humano fœdera ſua confirmârint, deſcrib.* Bohem. de mor. gent. l. 2. c. 1. 5. & 9. Alex. ab Alex. genial. dier. l. 5. c. 3. Alex. Sardus de mor. gent. l. 3. c. 14. (b) *Qvamvis omnes omninò homines deceat fidem, ſive hoſti, ſive hæretico, ſive rebelli data fuerit, ſervare*, Boxhorn. Inſtit. Polit. l. 1. c. 11. §. 16. *Principibus tamen, & qvos in excelſo loco fortuna conſtituit, maximè id convenit.*: præſertim cùm cæteris qvidem mortalibus in eo ſtent conſilia, qvid ſibi conducat. Principum diverſa ſors ſit, qveis præcipua rerum dirigenda ad famam, cujus & fidei damna majora eſſe, qvàm qvæ æſtimari posſint, Liv. l. 3. c. 72. *verè exiſtimat.* Fraus enim cùm in omnibus fœda, tùm verò in iis, qvi majori dignitate ſunt præditi fœdior, qvàm aperta violentia. Thucyd. l. 4. bell. Pelop. *Vid. qvæ in hanc ſententiam præclarè monet* Septal. de rat. Stat. l. 2. c. 12.

Hippol.

Hippol. à Collib. in Princ. c.10. *cui addantur erudita* Martin. Nauraths additiones diſſert. an Principi promiſſorum fidem liceat fallere? ap. Honor. Theſ. pol. *Sed ut nunc ſunt mores, ita cum* Alex. VI. *Pontifice, & filio ejusdem* Cæſare Borgiâ fidem dare omnibus, ſervare nemini, pro ſummâ religione perſvaſum habent plurimi. *Qvin etiam ex conſilio* Cardinalis *cujusdam anonymi (ref.* Claſen. de rel. pol. c.3. p.m.48.*)* jurejurando tanqvam monetâ utuntur publicâ, pro ſuo Regniq; commodo, qvia non liceat cautius fallere, qvàm ſi Principes promisſis juramenti vinculo munitis non ſteterint. Chriſtoph. Peller. Addit. ad c.38. Polit. ſcel. *Qvaſi verò* pacta & juramenta (*qvod* Dux Oſſunæ Pro-Rex Neapolitani Regni *non minùs ſtolidè, qvàm imprudenter A.*1617. *defendere auſus eſt)* obligent ſaltem Principes minorum gentium, potentisſimi autem orbis Monarchæ, cujusmodi ſit Rex Hiſpaniæ, minimè ad talia ſervanda obligentur. Baudart. l.38. ad h. a. *Accidit tamen iisdem, ut, dum homines fallunt, Deum graviter offendant, qvi perfidiæ perjuriiq; certus vindex, rupti fœderis ſeverisſimus ultor exiſtit. Ac licèt lento gradu ad vindictam ſui divina procedat ira, tarditatem tamen ſupplicii gravitate compenſat.* Condit. de fid. pol. l.4. c.10. & 11. Anti-Machiavell. l.3. theorem.21. *Memorandum profectò divinæ ultionis in fidei violatorem exemplum præbet* Vladislaus, Hungariæ Rex, ab Amurathe II. Turcarum Imperatore ad Varnam Anno 1444. maximâ exercitûs ſui clade cæſus. Mich. Rit. de Reg. Ungariæ. Ortel. Chron. Ung. ad h. a. *Qvapropter*

> Fœdera, mortales, ne ſævo rumpite ferro,
> Sed caſtam ſervate fidem, fulgentibus oſtro
> Hæc potior Regnis. Sil. Ital. l.13.

(*c*) *vid.* Forſtn. Annot. ad Tacit. 1. Ann. *ad ea verba:* qvib9 ab Auguſto Antonium Tarentino Brunduſinoq; fœdere deceptũ ait. Bœcl. ad eund. loc. *Nihil enim pronius ad fœderatos ſeparandos, qvàm commodum oblatum, cùm id ſolum Principum fœderibus ſubſternatur, & ſubtractum adferat finem.* Auct. Hiſt. miniſt. Card. Richel. *l.2. p.m.*95.

(*d.*) Julii *dictũ* Gvicciardinus, Henrici Zevecot. in not. ad Flor. l.2. c.5. *refert. Ita* Jan. d' Auſtriâ, *cùm A.*1577. *ob Ordinibus contractûs facti & obſignati admoneretur, dicebat:* Ordines ſuam ipſius prudentiam commendare, qvàm de hoc conqveri debere, qvod læ-

ſione pactorum Regni commodum promoveretur. (e) *Dulce eqvidem eſt Pacis nomen, & amabile, res verò optima & innumeris triumphis potior, ſed nomen inter mortales & imago qvædam potiùs, qvàm verus uſus exiſtit.* Burgman. Annot. ad Per.9. Stypm. de ſincer. *cùm plerumq; fraudibus atq; ambitioni inſerviat, deſintq; illa omnis pacis præcipua fundamenta, qvorum alterum fides, alterum ἀμνηςία meritò cenſetur, & utrumq; in animis paciſcentium reqviritur.* Bœcl. ad Tacit. An.1. c.10. n.5. *Omnes enim, qvi alios repentino bello adoriri, aut aliorum impetum remorari volunt, Pacem & concordiam jactant, illâq; ad adornandas ſuas molitiones abutuntur. Deceptus ita ab Hiſpanis ſæpiùs* Jacobus Magnæ Britanniæ Rex. Burgoldenſ. ad Inſtrum. Pac. Oſnabr. Diſc.1. *p.* 81. & 83. Zevecot. ad Flor. *l.*3. *c.*10. *in qvo impletum videtur vaticinium, qvod Legato Henrici VII. Romæ Aſtrologus, ſeu potiùs magus, in Speculo exhibuerat; virum ſcilicet ætatis plenum, librum ſub axillâ gerentem, cum hâc inſcriptione:* Pacem damnoſam ſemper amavi, *ſeu, ut alii volunt,* infelix Pacis amator. Peller. in Addit. ad Polit. ſcel. c. 4. p.m. 46. *Hinc objectâ primùm ſpe pacis, deinde edicto A.1568. promulgato confirmatâ, Condæo & exercitui religioſorum imponere nitebatur Carolus IX. partim ut langvidiores ad rem capeſſendam redderet, partim ut arma illis demeret, & amandaret auxiliares copias, qvarum recuperandarum ſumma difficultas erat.* Anon. comment. d. Statu Reip. & Rel. in Gall. Regn. l. 8. *Qvomodo Hiſpani Pacem fraudulenter tractent & ſervent, explicat* Auct. Arcan. Hiſp. dom. *c.*23. (*f*) Gloriabantur ſiqvidem Legati Rom. Q. Marcius & A. Attilius nullâ re magis, qvàm decepto per inducias & ſpem pacis Perſeo Macedoniæ Rege. Liv. l. 42. cap. 47. (*g*) Tacit. Ann. 1. *cap.*10. *Conſul. qvæ* doctiſſimus Bœclerus ad hunc locum annotat. (*h*) *Verba* Lipſii in Epiſt. conſultat. *ſæpiùs à nobis citatâ, qvâ inducias ſvadet Regi, extant ejusmodi:* Vinci nunqvam potuit (nimirum Sextus Pompejus ab Octaviano Cæſare) niſi brevi pace. Ea pacta cum illo eſt, exules recepti, & vires abductæ, corruptus occultè ejus miles &c. Vetus hoc eſt; fiet novum, ſi eadem adhibentur, & imprimis, ſi conſilio & intentione rem adminiſtramus. *Hinc* plus Hiſpaniæ Reges contra fœderatos Batavos induciis, qvàm qvadraginta annorum bellis profeciſſe, conſtanter

ter

ter aſſerit Forſtn. in not. ad Tacit. An. 1. & l. omiſſ. p.m.533. Nullæ enim ferè ſunt induciæ fieri ſolitæ, niſi ad fallacias, cùm modò fiant ad proditiones commodiùs inſtruendas, modó ad reſumendas vires, ut promtiores paratioresq; posſint inſurgere. Nat. Comes Hiſt.univ. ſui temp. *l.*10. Marſelaer d. Legat. l.2. diſſert. 23. (*i*) Eqvidem ita exiſtimo (*verba ſunt* Auct. diſſert. d. occaſ. Honorii Theſ. Pol. inſertæ) nullâ re Turcarum contra Chriſtianos conatus & inſultus promotos fuiſſe, qvàm freqventibus, qvas de induſtriâ cum Principibus noſtris ſuſceperunt, induciis, & pacificatoriis actionibus, qvibus illud conſecuti ſunt, ut de improviſo noſtros ſecurè degentes adorti, facilem victoriam reportârint. *Vid.* Excellent. Dn. Schurzfleiſch, *Promotoris ſtudiorum meorum omni obſervantia cultu ætatèm devenerandi, diſſert. eruditæ & prudentia plenisſima* de Induciis c.1. §.15.

THESIS X.

QVo pacto autem omnes, qvi alienum ſervitium ac dominationem concupiſcunt, ſpecioſa vocabula uſurpant; interdum pro tranqvillitate publicâ arma ſumere dictitantes, qvam perturbant tamen; interdum pro ſubditorum tutelâ & defenſione, in qvos tyrannidem exercent; interdum pro ſtatu proprio conſervando, cùm alienum occupare ſatagant [a]: Sic Pietas imprimis, & Deus, magna nomina, prætenduntur improbæ ambitioni, Religio, ſanctus titulus pravæ rei. Qvippe qvâ nihil in ſpeciem fallacius, nec promtius aut potentius

 qvic-

qvicqvam ad magna Imperia diſcutienda [b]. Ita Ferdinandum Arragonium omnes ſuas cupiditates colore Religionis obtexiſſe [c], eodemqve in occupando Navarræ Regno [d], invadendis Indiis [e] abuſum fuiſſe accepimus. A qvo tempore hoc gentis Hiſpanicæ ſemper arcanum fuit, Religionis obtentu tyrannicam dominationem ubiqve uſurpare, eoq; prætextu ſimplicioribus ad tempus imponere; improbis impunè graſſandi licentiam concedere [f]. Certè edicti illius, à Ferdinando II. Cæſare Anno 1629. promulgati, de reſtituendis bonis Eccleſiaſticis, Monzambanus hanc arcanam ſubfuiſſe rationem ſuſpicatur, ut Cæſar ſibi conciliaret Epiſcopos, reliqvosq; ordines Catholicos, & iisdem perſvaderet, qvæ moliretur, in gratiam Religionis ſuſcipi, non ad opprimenda ordinum jura. [g].

(a) Savedr. Symb. Pol. 77. *Nam utplurimum ſolent ii, qvi Rempublicam moderantur, veras cauſſas occultare, pro veris autem prætextus allegare ac oſtentare, uti latè hoc proſeqvitur* vir ſummus in prudentiâ civili, Bœclerus, Comment. ad Tacit. An. 1. c. 10. n. 1.
(b) *Veteris jam ſeculi hæc fallacia fuit, ſuperſtitione, qvâ nihil multitudinem regit efficacius, animos hominum ſibi conciliare, aut in officio continere ſubjectos populos. Hinc illa oracula & conſvetudines*

Deo-

Deorum, Numæ Pompilii *cum Ægeriâ*, Plutarch. in vit. Numæ. Liv. l. 1. c. 19. Lycurgi, Apollinem, Juſtin. l. 3. c. 3. Minois, Jovem, Val. Max. l. 1. c. 2. *auctores Legum ſuarum fingentium*, Sertorii, Dianæ *revelationem per cervam albam ſimulantis*, Plutarch. in Sert. *aliorumq; qvàmplurium*, *de qvibus ſummatim agit* Tholoſan. de Rep. *l.* 13. *c.* 11. *Romani qvoq; perſæpè Religionis prætextu cùm ad inſtituendam Rempublicam, tùm ad ſuſcipienda bella, ſedandasq; ſeditiones atq; tumultus uſi leguntur.* Machiavell. l. 1. Diſput. de Rep. *c.* 13. *Et qvid optatius* Philippo Macedoni *poterat accidere, qvàm ulciſcendi ſacrilegii cauſsâ qværere religioſum armorum titulum?* Juſtin. l. 8. c. 2. *De* Attilâ, *flagellum DEI ſe nominante*, (*teſte* Bonfinio, Münſter. Ritio, Lambert. Schaffnaburgenſ. *atq; inſuper numo cum hâc inſcriptione extante*) Muhammedo, *colloqvia angeli impoſturis ſuis prætendente*, Timurlane, *iram DEI ſe vocante*, *vid.* Tholoſ. *l.* 13. *c.* 11. & 12. *Scilicet ab omni ævo bellorum qvantumvis impiorum cauſſam prætenderunt homines Religionem. Sua qvisq; arma ſanctâ prædicat, ſuam cauſſam religioſam: DEUS, pietas, cultus divinus prætexuntur. Horret animus referre graviſſima bella, qvæ noſtro hoc & ſuperiori ſeculo per Germaniam atq; Galliam ingenti furore geſta, obtentu religionis, regioni ac dominationi qværendæ inſervierunt.* (c) Gvicciard. *l.* 12. (d) AntiMachiavell. l. 2. theor. 6. (e) *Profundam Imperii ac divitiarum cupidinem, veteres bellandi cauſſas, in expugnandis atq; diripiendis Indiis Hiſpani ſedulò propagandæ Religionis ſtudio velârunt, contrarium tamen illis objiciente* Bartholom. de la Casâ, in ſpec. Hiſp. tyran. in Indiâ. *Ait enim*, non poſſe Hiſpanos ferre, qvod religioſi ibi ſint & doceant, qvia per hoc Indi ipſis non ita ſervire posſint, & melius de re ipsâ informentur: imò ægrè ferre, aliqvem ad chriſtianam fidem converti. Sic Religio eſt pallium extremæ neqvitiæ, velum crudelitatis, & tegumentum ſtupendæ ac barbaricæ prorſum ſævitiei. Claſen. de Relig. Polit. c. 3. (*f*) Auct. arcan. Hiſpan. Dom. *c.* 6. Miniſt. Card. Richel. *l.* 2. *p. m.* 71. (g) *c.* 5. §. 12. tr. de Stat. Imperii Germ.

THESIS XI.

REferendæ huc ſunt malitioſæ callidæq; fœderum pactorumq; interpretationes, vel

eo nomine abominandæ, qvòd iisdem perjurii latebræ ſæpiùs qværantur [a]. Qvo in genere multa peccari, Cicero adfirmat, ut ab illo, qvi, cùm dierũ pactæ eſſent induciæ, noctu populabatur agros [b]. Sic. Q. Fabius Labeo, cùm ex fœdere ab Antiocho dimidiam navium partem accipere deberet, medias omnes ſecuit, ut eum totâ claſſe privaret. Et Romani, ne Carthaginem contra datam fidem exſcindere viderentur, civitatem mœnibus ac ædificiis urbis minimè contineri dictitabant [c]. Conſtat etiam de Albani Ducis fraudulentâ aſtutiâ, qvâ Philippum Hasſiæ Landgravium, mutato in litteris publicę fidei verbo, captivitati diuturniori inſigni ſcelere mancipare conatus eſt [d]. Nec prætereundus Philippi III. aſtus, qvi, ubi cum fœderatis Belgis, tanqvã cum liberis, acturum reſcripſiſſet, elapſo Induciarum tempore, ne videretur juri ſuo in eos renunciaſſe, particulam tanqvã non veritatis, ſed ſimilitudinis eſſe voluit [e]. Cui tamen debuiſſet perſpectisſimum eſſe, Fœderis conditiones magis JCtorum, qvàm

qvàm Regio more exponere, & verborum interpretationem pro ſuorum conſiliorum varietate mutare, à Regiâ dignitate perqvàm eſſe alienum *f*.

(a.) *Adeò profundè hujus rei in animos hominum ſe demiſit malitia, ut non dubitaverit qvidam dicere:* duas dæmonem genuiſſe filias, qvarum altera ſimulatio, altera æqvivocatio nominata fuerit. Claſen. d. Rel. polit. *c.*4. *maximè tamen harum æqvivocationum atq; ambiguitatis artifices ſunt Jeſuitæ.* Burgmann. in annot. ad Peric. 1. Stypm. de ſincer. *qvi qvantoperè cum aſſeclis ſuis variis æqvivocationum artibus atq; fraudulentis interpretationibus Pacem religionis, per modum legis in comit. Auguſt. A.* 1555. *ſancitam, ſecuritatis atq; fidei noſtræ certisſimum fulcrum firmisſimamq; columnam, qvantum in ipſis, evertere atq; extirpare conati ſint, vid. ap. eund.* annot. ad Per. 2. Stypm. *Expugnârunt hanc Jeſuiticæ vafritiei arcem è noſtratibus* B. Gerhardus LL. Theol. T.3. de Lege DEI, §.178. B. Hülſem. Brev. Theol. c.12. th. 25. & Manual. Confeſs. A. contra Hagerum *p.*616. Danhauer. Qvæſt. moral. c.6. q.2. Pufendorf. l. 4. d. J. N. & G. c. 1. §. 13. & 14. Oſiand. Annot. ad Grot. d. J. B. & P. l.2. c.16. n.2. *è Calvinianis* Alſtedius, Theol. Caſ. Conſc. c.50. q.22. Ameſ. l.5. de Conſc. c.53. q.3. Rivet. Expl. Decal. Q.51. p.m. 397. ſeqq. Gisb. Voët. T.4. Diſp. ſelect. Adr. Heerebord. Exerc. Eth.57. *è Pontificiis* Joh Malderus, Tr. de abuſu reſtrict. mental. *& qvos prætereà citat* Hülſem. l. a. *qvibus addatur* Ludov. Montaltius in Epiſt. provincial. 9. *(b)* Cic. l.1. offic. *ubi & jurisjurandi fraudulentâ interpretatione culpam inveniri docet exemplo militis, qvi poſtqvam permiſſu* Annibalis *exiſſet de caſtris, rediit paulo poſt, qvòd ſe oblitum qvid diceret; deinde egreſſus è caſtris jurejurando ſe ſolutum putabat:* at erat, *inqvit*, verbis, re non erat. *Simili perjurii fraude* Hatto Archiepiſcopus Moguntinus Adelbertum Bambergenſem Comitem Ludovico Regi *ad ſupplicium prodidit.* Wittichindus Mon. Corbejenſis Ann. Sax. l.1. p.m. 8. Detmar. l.1. Chron. Merſeburg. Abbas Stadenſis ad A. 908. Luitprand.

prand.l.2.c.3. Dignus tamen (*utar* Alciati *verbis*) perpetuâ notâ Sacerdos, qvi ignoravit, fraude perjuriũ adſtringi, non diſſolvi. Nam qvâcunq; verborum arte qvis juret, DEUS tamen, qvi conſcientiæ teſtis eſt, ſic illud accipit, ſicut ille, cui juratur, intelligit. Iſidor l.2. de Summo bono. (*c*) Bernegg. obſerv. Hiſt. polit. 25. (*d*) Hortled. d. Bell. Germ. l.7. Sleid. l.19. d. comment. St. Rel. *Convenerat inter Carolum V. & Philippum Landgravium, ut hic accederet ſine ullo metu carceris*, ohne einige Gefängniß: *qvod Albanus Dux deinceps interpretabatur*, ohne ewige Gefängniß: *qva ſycophantia malè habebat & Landgravium, & generum ejus Mauritium Saxonem, Heroëm tùm temporis ſine pari. Hinc cùm moras necteret Carolus V. in liberando è vinculis Philippo, Mauritius ita ad Imperatorem*: At ego te tanqvam Imperatorem, non tanqvam JCtum volo pactiones & fœdera interpretari. (*e*) Boxhorn. Inſtit. Polit. l.1. c.11. explan. §.19. *qvod qvaſi animo preſagiebat* Bonæfid. in not. ad Lipſ. Epiſt. *ſcribens*: Hanc disjunctionem (*loqvitur de renunciatione Regis in fœd. Belgium*) induciis duodecim annorum exſpiratis non ſolùm eludere conabuntur multis æqvivocationibus æqvivocationum magiſtri, Lojolitæ, ſed iidem effrontes & mendaciſſimi monachi eandem Regis abgregationem nunqvam extitiſſe in gratiam Regis ſui coram toto mundo ſine ullis ambagibus ſuſtinere adlaborabunt. (*f*) Gvicciard. l.5. *Vitio vertitur hoc ipſum Ludovico XII. Gall. R.* qvod non viro principi, ſed Legulejo convenientes verborum ac pactorum interpretationes adferre ſolitus fuerit. Bernegg. cit. loc. *Nec Sigismundum Cæſ. hâc calliditate vacâſſe meminit* Burgman. annot. ad Peric. 2. Stypm. de Sincer.

THESIS XII.

SEd hæc hoſtium conſilia licèt nefaria ſint, & reprehenſione ſuâ non careant, levia tamen videntur, cùm immisſis percuſſoribus è medio tollere ſummos viros, aut veneno graſſari in Regum Principumq; capita, qvàm tralatitium,

tàm

tàm ſceleratum ſit comparandæ firmandæq; potentiæ flagitium [a]. Neqve illæ antiqvioris ſeculi Philippi & Alexandri M.[b] Macedoniæ; Darii [c] Perſarum Regum; Julii Cæſaris [d]; Claudii; Galbæ; Vitellii [e], aliorumq; Imperatorum Romani populi, qvorum plures aut militum furor, aut cruentus Imperii æmulus, qvàm naturalis fatorum conditio rapuit, cædes longius mihi repetendæ. Cùm Gvilielmi VI. Orangii Principis [f], Henrici III. & IV. Regum Galliæ [g], infauſtus vitæ exitus, comparatæ nuper in Auguſtisſimum Cæſarem Leopoldum inſidiæ [h], iſtâ turpitudine nec noſtra tempora vacare, & inter arcanas regnandi artes obtinere locum, abundè teſtentur.

(a) *Miſeratione profectò digna Imperantium conditio videtur, cùm non tantùm poteſtas ipſorum apertis armis tentetur crebrò, ſed vita etiam diſcriminibus & hoſtium inſidiis expoſita ſit. Armantur ſiqvidem percuſſorum manus in Principum interitus, & largitionibus debitam civium fidem corrumpunt callidi hoſtes. Ut rectè & præſagiendo qvaſi vitæ finem dixerit* Alexander M. Vos modò me ab inteſtinâ fraude & domeſticorum inſidiis præſtate ſecurum; belli Martisq; diſcrimen impavidus ſubibo. Philippus in acie tutior, qvàm in Theatro fuit. Hoſtium manus ſæpè vitavit, ſuorum effugere non valuit. Aliorum qvoqve Regum exitus ſi reputaveritis, plures à ſuis, qvàm ab hoſte interemtos numerabitis. Curt. l. 9. c. 6. *Videant tamen, qvi his ſceleratis artibus potentiæ ſuæ in-*

crementa quærunt, ne ſua exempla aliquando pati cogantur, quia Deus immortalis, juſtisſimus Judex, has in vicariis ſuis admiſſas injurias cædesq; ſeverisſimè vindicare conſuevit. Ita univerſa Caſſandri domus Alexandro M. ſeu necis ipſius, ſeu ſtirpis extinctæ pœnas, partim cæde, partim ſupplicio, partim parricidio luit. Juſtin. l.16.c.2. *Sic percuſſorum Cæſaris neq; triennio qvisqvam ampliùs ſupervixit, nec ſuâ morte defunctus eſt. Vid.* Forſtn. ad Ann. Tacit. I p. m. 27. ſeq. Zevecot. in obſervat. ad Svetonii Jul. c. 89. *Nimirum*

Regi tuenda eſt maximè Regum ſalus,

Qveritur peremtum nemo, qvem incolumem timet.

Sen. in Oed. *Quâ de cauſsâ Darius ab Alexandro cædis ſuæ petebat vindictam, ne impunita in aliorum etiam Regum, ſuumq; ipſius exitium erumpat. Laudandus proinde* Alphonſus *utriusq; Siciliæ Rex, qvi cùm Rogerius, comes Pallantæus, ei necem Regis Caſtellani obtuliſſet, quam ſuâ manu eſſet illaturus, reſpondit:* Deſine, qvæſo, tantum nefas cogitare, cùm eo pretio nec Imperium orbis terrarum velim acqvirere. Auct. Miniſt. Card. Richel. Polit. reminiſc. ad l.10. c.15 (*b*) Juſtin. *l.9. c.6. & l.12. c.14.* Curt. *l.*10. *c.*4. (*c*) Curt. *l.*5. *c.*13. (*d*) Sveton. in vitâ Cæſaris Flor. *l.* 4. *c.*2. (*e*) Tacit. An. 12. *c.*67. *Hiſtor.* 1. *c.*41 ibid. 3. *c.*85. *vid. de illis inſuper* Tranqvillus in in vitis illorũ. (*f*) *Trajecit* Wilhelmum Auriacum, *Principem æternâ memoriâ liberatione fœd. Belgii ab Hiſpanorum ſervitute illuſtrem, ſicarius qvidam Hiſpanicus, nomine* Balthaſar Gerhard, *magnâ pecuniâ & promiſſâ nobilitate ad hoc ſcelus conductus,* Delphis *ignito globo A.* 1584. Thuan. *l.*79. Meter. *l.* 12. Auct. Arcan. Hiſpan. dom. *c.*25. de Aſſaſinis Hiſpanicis. (*g*) *Pari fato, qvod ſanè admirationem meretur, uterq; Regum vitam alieno ſcelere amiſit, &* Henricus III. qvidem *à* Jacobo Clemente ordinis Dominicani monacho Kal. Auguſti *A.* 1589. Henricus IV. autem à Franciſco Ravaillac IV. Non. Maji *A.* 1610. *ambobus à Jeſuitis ſubordinatis, Lutetiæ trucidati ſunt. Vid.* relat. de morte Henrici III. ap. Honorium Theſaur. Polit. G. Horn. Diſſert. Hiſtor. polit. 19. (*h*) *De conſpiratione illâ Hungariæ Procerum,* Nadaſtii & Serinii *comitum, in vitam & ſalutem optimi Cæſaris, cum conjurationis ejusdem affinibus, videri poſſunt acta publica d. A.* 1670. *& quæ publici juris factæ proſtant relationes.*

THE-

Auxilia externa prudentioribus ſemper ſuſpecta, vocantibus multimodis pernicioſa fuerunt [a]. Nam aut infidus eorum animus, non ſuam, ſed alienam victoriam inſtruens, tranſit in hoſtium partes, aut ſubdolo conſilio noſtram ſervitutem laboris ſui præmium ſtatuit. Nec alia Populo Romano cauſſa tantæ in ſociis defendendis induſtriæ ac ſtudii, qvàm iisdem novisſimè pariter ac hoſtibus ſervitutis imponere jugum [b]. Sic ſpecie auxilii Ferdinandus Catholicus Fridericum Regem Neapolit. nefariè privavit Regno [c]. Qvin & Eliſabetha Angliæ Regina Caſimirum Palatinum ad bellum Belgicum inſtruens pari aſtutiâ Belgio inhiare credebatur [d]. Maximam qvoqve Romani Imperii everſionis partem Gothorum ſibi tribuere conducta arma, nemo inficias ibit, conſiderans eos amœnitate Regionum allectos, cùm in interno milite parùm ſpei, parùm roboris eſſe cernerent, qvæ ad liberationem Italiæ ſumſerant, in ſervitutem convertiſſe ar-

ma. Satius itaqve, propriis viribus vinci, qvàm externis auctorem alienæ potentiæ exiſtere.[e] Uti verò auxilia hoſtium, aut qvi hoſtili in nos ſunt animo, ita & colloqvia & congreſſus ſedulò cavendi, aut magnâ diffidentiâ & ſingulari circumſpectione admittendi ſunt. Monent hoc tot in clarisſimis Viris violatæ fidei documenta, ne nimiâ credulitate ad fallendum compoſitis hoſtium blanditiis fidentes acerbam vitæ jacturam faciamus[f].

(a) Boxhorn. Inſtit. pol. l.1. c.11. §.3. Forſtner. in not. doctiſs. ad 6. Tacit. An. *Hinc idem* ad 12. An. c.11. Auxilium, protectio, defenſio, nomina ſunt, *inqvit*, à qvibus ad ſervitium facillimè tranſitur. (b) Flor. l.2. c.2. Zevecot. obſerv. ad Julium c.11. Hàc ratione terrarum omnium domitorem Pop. Rom. in hoc potentiæ ſuæ faſtigium aſcendiſſe arbitrabatur Cicero fragm. l.3. de Republ. *cui gemina ſunt illa* Alcibiadis: Imperium hoc modo parâſſe, qvicunqve rerum potiti fuerint, impigrè ſuccurrendo ſemper iis, qvi auxilium implorabant. Thucyd. l.6 (c) Auct. Arcan. Hiſp. dom. c. 20. *ubi & alia Hiſpan. fraudis exempla reperiuntur. Præclarè ergo ſummi judicii maximæq; diligentiæ Hiſtoricus* Jac. Aug. Thuan. *l.* 107. ſolent Hiſpani Regnorum patrocinium ſuſcipere, ſed patrocinia illa ad finem dominationem trahunt. (d) Fam. Strada de Bell. Belg. l. 11. (e) Machiavell. l. de Princ. c.3 & 13. (f) *Qvamvis nullo jure ſe tueri posſint Principes, qvi ſpecie colloqvii hoſtes ſuos circumveniunt.* Clapm. l. 5. Arcan. c.19. *qvia tamen ubiq; exiſtunt, qvi* Octavio Fregeſio aſſentientes dilatandi Regni aut evidentisſimæ utilitatis gratiâ, licèt fidem fallant, excuſari ſe poſſe autument, Gvicciard. l.12. *multi hâc arte decepti vitam cum morte*

com-

commutârunt. In vincula prius fallaci ejusmodi colloqvio Cotys à Rheſcupore, poſteà neci datus. Tacit. An.2. c.65. *Trucidati ſimili modo à* Cæſare Borgiâ Duce Valentino Urſini. Machiav. libr. ſing. de hâc cæde. *Ita* Friderico *qvoq;* cognomine admorſo Marchioni Miſniæ, *ſimulato de pace inter illum & Philippum Naſſovium colloqvio, Aldenburgi penè vita ab Alberto I. Cæſare erepta.* Joan. Garzon. l.1. rerum Saxon. p.m.28. *Sic* Joannes Intrepidus Burgundiæ Dux, *cùm colloqvendi cauſsâ de pacis conditionibus Monterellum veniſſet, à Car. VII. percuſſoribus circumventus interiit.* AntiMachiav. l.3. theor. 1. *Plura hujus perfidiæ exempla recenſet* Baptiſta Fulgoſius l. 9. dictor. factorumq; memorab. c.6. Forſtn. ad Tacit. An.15. cap.29.

THESIS XIV.

FReqvens præterea eſt dolus, per ſuppoſititios & ſcenicos Principes Regnorum interpellare qvietem, qvàm ludicro initio, tàm maximo plerumqve motu & periculoſis turbis [a]. Experta hujus fraudis calamitatem Britannia qvondam Henrici VII. regimine, Lamberto Simnello Eduardi Plantagenetæ Petro Judæi filio Richardi perſonam Margaritæ Burgundiæ Ducis conſiliis mentiente [b]. Perturbata Marchia, ſubornato ab Aſcaniis Woldemaro [c]. Expoſita variis externarum gentium vaſtationibus imaginariis, & ad perniciem Ruſſorum confictis Demetriis [d] Moſcovia. Aſtutè pariter fingebat

Steph. Râtzinus, perduellis ille Coſacus, ad ſollicitandos popularium animos, Alexeum Alexeidem Tzaris filium mortuum, & Niconem Patriarcham relegatum, ab inſidiis & injuriâ tuendos ſe ſuſcepiſſe[e].

(a) *Qvod in Eunuchi Prologo* Terentius *inqvit:* Nihil eſſe dictum, qvod non dictum ſit prius; *id in facta qvoq;, & callida, de qvels nunc agimus, conſilia convenire arbitror, cùm omnium fraudium ſcelerumq; veſtigia veterum monumenta ſuppeditent. Ita* Pſeudo-Mergidis Juſtin. l.1. c.9. Pſeudo-Philippi Flor. l.2. c.14. Pſeudo-Neronis Tacit. H.2. c.8. *meminit. Vid.* Baptiſtæ Fulgoſi l.9. de dict. & fact. memorab. c.16. De Pſeudo-Balduino Flandriæ Comite & Pſeudo-Stephano Luſitaniæ Rege. Forſtn. ad Tacit. An.5. p.m.465. Zevecor. ad Flor. l.2. c.14. *licèt in Stephano multa adſint ſigna, qvæ dubitationem fictæ perſonæ eximant.* (*b*) Poly lor. Virgil. l.26. Hiſt. Anglic. (*c*) *fuiſſe hunc molitorem, nomine* Joan. Rebock, *tradit* G. Horn, Orb. Imper. p.59. (*d*) *Adornârunt hanc ſcenam Jeſuitæ in Poloniâ, in qvâ primas partes egit juvenis Ruſſus, nomine* Gregorius Strepius, ſeu Griska Utrepeja, *qvo interfecto alii tamen ſubinde Demetrii prodiere, de qvibus prolixè agit* Olear. in Itinerar. Moſcovit. & Perſic. & Petr. Petrejus in Chronic. rer. Moſcovit. Auct. Hiſtor. orbis terr. Geograph. & Civil. c.7. Hiſt. civ. n.4. ſeqq. (*e*) *Vid.* Nobiliſs. Dn. Schurzfleiſch Diſſert. de Steph. Razin. §.13. & 19.

THESIS XV.

PAtuit hactenus, qvæ vis, qvi modi callidorum ſint hoſtium conſiliorum; ſupereſt demum, ut, qvibus remediis, & qvâ cautione obviam eundo in Republicâ Princeps aſtutas machi-

chinationes reddat inanes, prudenterq; eludat, exponam. Primò autem omnium, uti veræ Religionis ſincerus cultus fundamentum [a], ac ſcopus & regula prudentiæ civilis, conſiliorumq; veluti eſt radix: ita huic conjuncta pietas [b] magnum ad res bene gerendas robur, magnumqve proſperorum conſiliorum momentum habet.

(a) *Hinc Lactantius l. 1. de irâ c. 12. inqvit:* Religio & timor DEI ſolus eſt, qvi cuſtodit hominum inter ſe ſocietatem. *Vid.* Septal. de Rat. Stat. l. 2. c. 10. Auct. differt. de fundam. dominat. deq; Inſtrum. Regn. & Tract. de Rel. ap. Honor. Theſ. Pol. p. 1. & 501. *Eandem mentem fuiſſe Potentiſſimo Daniæ Norvagiæq; Regi FRIDERICO III. glorioſiſſimæ memoriæ, arguit ipſius Symbolum: REGNA FIRMAT PIETAS. Et qvamvis Ethnicis etiam fuerit creditum, nihil æqvè valere ad moderandas ſtabiliendasq; Respublicas, & ad religandos mortalium animos, qvàm religionem, neq; negandum penitùs, Gentilium ſuperſtitionem falſasq; Religiones apud imperitam & rudem multitudinem efficaciſſimum imperandi fuiſſe inſtrumentum, qvippe qvæ propterea fidem ſervabat, legibus & magiſtratibus ſe ſubjiciebat, qvod ſecus facientes Deorum iram & ſupplicia incurrere perſvaſa erat: à ſolâ tamen Chriſtiana Religione veram & ſolidam Reipublicæ pendere felicitatem, pulchrè demonſtrat* Forſtn. ad 1. Ann. Tacit. p. 105. ſeqq. *Tametſi qvoq; cultus DEI non formandus ſit ad uſum civitatum & regulas politicas, nulla tamen religio tàm perfecta continet præcepta moralia, & qvæ magis ad tranqvillitatem & decus civitatum adaptata ſint, qvàm Chriſtiana. Qvæ cùm Hæreticorum malitiâ iterum in varias ſectas ſit diviſa & erroribus deformata, de ſola Evangelicâ, qvam Lutheranam vulgò vocant, licet aſſeverare, nihil in eâ potuiſſe animadverti, qvod principiis doctrinæ civilis repugnarit. Vid. de tribus in Imperio noſtro rece-*

receptis religionibus judicium Dn. de Monzambano de Stat. Imper. Germ. c. 8. §. 7. ſeqq. (*b*) *Qvanqvam Pietas Religionem videatur complecti; nobis tamen placuit unum ab altero diſtingvere, ita ut religionem ponamus in recto de DEO ſenſu: pietatem in recto DEI cultu.* Qvæ cùm omnium moralium virtutum Regina ſit, Condit. de fid. pol. l. 1. c. 11. *hinc DEUM colentibus proſperè omnia cedunt. Unde apud Romanos prima ejus cura ſemper fuit, & in libris, & in moribus, qvæ pietas licèt ſuperſtitioſa, non parum tamen contuliſſe ad tantam Imperii molem excitandam, demonſtravimus paullò antè. Qvod nec ignoráſſe videtur* Livius, *ſuo tamen ſenſu, l. 44. dicens:* Favent pietati fideiq; Dii, per qvæ Pop. Rom. ad tantum faſtigii venit. *Et* Camillus apud eund. l. 5. Intuemini horum deinceps annorum vel ſecundas res, vel adverſas, invenietis, omnia proſperè eveniſſe ſeqventibus Deos, adverſa ſpernentibus. Nimirum ubi divina Providentia non commilitat conſiliis actibusq; hominum, malus iis exitus obvenit, & cogitationibus valdè adverſus. Nam tunc neqve vir conſultus conſultus eſt, nec fortis fortis, ſed etiam ſapientisſima conſilia inſipienter deſinunt, & generoſa maximè ac fortia facta turpem & infamem exitum conſeqvuntur. Niceph. Gregor. l. 7.

THESIS XVI.

SEd qvamvis Pietas præcipuum adverſus hoſtiles inſidias ſit munimentum, virtus tamen atqve prudentia idcircò in iis cavendis haudqvaqvam prætermittenda eſt. Non enim ignavo aut inerti, ſed induſtrio & ſapienti homini auxilium DEI obvenit, proſperosq; ſucceſſus ſortiuntur animi cogitata, ſi prudentiæ radiis illuſtrata fuerint [a]. Qvamobrem ſollicitâ

licitâ curâ in ſingula, qvæ domi foriſq; geruntur, intentus habendus animus [b]; ut in tempore, ſi qvæ contra Rempublicam oriuntur molitiones, in promtu ſint remedia [c]. Securitas [d] qvoqve omnis aut labore ac negotio, in qvo habendus populus, aut metu externi hoſtium impetûs [e], aut æmuli Imperii imminenti potentiâ, è Republicâ penitùs tollenda. Ut ſerò adeò Romani ſaluberrimum Scipionis Naſicæ conſilium [f], ſervandam eſſe Carthaginem ſvadentis, ne metu ablato æmulæ urbis luxuriari felicitas inciperet, intellexerint.

(a) *Sic* Cato Orat. contra Socios conjurat. Catilin. apud Sallust. Non votis neqve ſuppliciis muliebribus auxilia Deorum parantur: vigilando, agendo, benè conſulendo proſperè omnia cedunt. Ubi ſocordiæ te atqve ignaviæ tradideris, neqvicqvam Deos implores, irati infeſtiq; ſunt. (b) *Qvem in finem ſvadent nonnulli, alendos eſſe delatores. Qvod ſi fiat juſtitiæ cauſsâ, tuendaq; ſaluti Principis ac Reipublicæ in Principatu, haud valdè abnuam; modò ſimul* Mecænatis *monitum obſervetur, qvi ita* ad Auguſtum, auctore Dione l.52. Qvoniam auſcultatores & exploratores habere te oportet, qvorum operâ omnes Imperii tui res cognoſcas, ne qvid cuſtodiâ aut emendatione indigens te fallere posſit; memento, non omnia ſtatim, qvæ ab his referuntur, credenda, ſed diligentem conſiderationem adhibendam eſſe; permulti enim eorum, vel odio aliorum, utpote bona eorum affectantes; vel in gratiam qvorundam, vel irati ob poſtulatam & non acceptatam pecuniam, falſo crimine ſeditionis tentatæ, aut contra Imperatorem alicujus

facti vel dicti improbi eos onerant. Qvod ſi tardius fidem adhibueris, nullo tuo magno id fiet damno: feſtinando autem fieri poteſt, ut peccatū aliqvod irreparabile admittas. *Plures cautiones circa delatores adhibendas tradit* Forſtner. ad 1. Ann. Tac. p. 179. ſeqq. *ubi & mitioris medii cognoſcendi, qvid in Imperio agatur, per diſpoſitos eqvos, mentionem facit; &* Bernegg. Qvæſt. in Tac. 166. (*c*) Val. Maxim. l. 7. dict. fact. mem. c. 2. §. 1. *refert*, Ap. Claudium *freqventer* dicere ſolitum, negotium P. R. melius, qvàm otium committi, qvòd animadverteret, præpotentia Imperia agitatione rerum ad virtutem capeſſendam excitari, nimiâ qviete in deſidiam reſolvi. *Hinc ſæpiùs à nobis citatus, & porrò etiam citandus propter ſingularem prudentiam* Clariſſimus Forſtnerus ad 4. Ann. Tac. Nihil omninò, *inqvit*, qvantumvis leve videatur, ſpernendum eſt, unde Reipublicæ benè vel malè eſſe poſſit. Parva ſcintilla contemta magnum ſæpè excitavit incendium. E leviſſimis vaporibus nubes generantur, qvæ deinde atrociſſimas effundunt tempeſtates. *Qvare prudentis erit, initiis obſtare, qvia, dicente Romanæ Eloqventiæ parente* Tullio 5. Philipp. Omne malum naſcens facilè opprimitur, inveteratum fit plerumqve robuſtius. *Et qvamvis τὸ μικρὸν, uti effert* Ariſt. 5. Polit. 4. 7. & 8. & l. 6. c. 4. *qvando ſcilicet id, qvod parvum eſt, in principio non adeò attenditur, & nihil eſſe putatur, non ſit proxima cauſſa mutationum Reipublicæ & everſionum; occaſio tamen motuum civilium videri poterit, ſi non propinqva, remota ſaltem. Vid.* Claſen. Com. Polit. l. 6. c. 2. th. 12. (*d*) *Et hæc ipſa non falsò refertur inter cauſſas, qvibus mutatur vel corrumpitur Reſpublica, cujus mater nimia felicitas; obſtetrix otium & voluptas. Audiamus* Senecam Ep. 91. Cladis cauſſas, ſi alia deficiunt, nimia ſibi felicitas invenit; & Salluſtium Conj. Cat. c. 10. Qvi labores, pericula, dubias atqve aſperas res facilè toleraverant, his otium, divitiæ, optandæ aliis, oneri miſeriæq; fuerunt. *Sanè ubi otium & ſecuritas ſunt aurigæ rerum ſecundarum, ibi rectà tenditur ad exitium.* (*e*) *Conſilium hoc eſt ipſius* Ariſt. l. 5. Pol. *ad excitandas civium vigilias conducere arbitrantis, ut ipſi aliqvando è veterno excitentur, metu periculi.* (*f*) *Refert* Flor. l. 2. 15. *Vid.* Zevecot. not. Pol. ad h. l. *Qvod & obſervâſſe* Tacitus *videtur* Hiſt. 2. c. 38. Rebus modicis, *inqviens*, æqvalitas facilè habebatur. Sed ubi ſubacto orbe, & æmu-

lis

lis urbibus regibusve excifis, ſecuras opes concupiſcere vacuum fuit, prima inter patres plebemq; certamina exarsére.

THESIS XVII.

PRæter hæc cavendum ſeduló, ne in Rempublicam irrepant homines loqvaces, & malè diſerti, qvi veluti litui animos plebis adverſus imperantes animent atqve incendant. Qvales nobis Demagogos [a] veteris ævi deſcribit memoria. Qvi ne in Republicâ largitionibus, ut cæteras technas prætercam, ſibi ſuisq; auctoribus faciant locum, annonæ cura Principi magno ſtudio ſuſcipienda, eâq; plebeculæ demulcendꝰ eſt animus. [b] Committendum verò neutiqvam, ut gravisſimis tributorum exactionibus vexata, ſpe tolerabilioris conditionis, alienum Dominum haud ægrè accipiat. Severâ porrò pœnâ interdicendum iis, qvorum in negotiis publicis Imperanti uſus, ne annuis externorum Principum ſtipendiis & ambitioſis honorum titulis fidem ſanctisſimam corrumpi patiantur [c]: Qvod ut eò faciliùs evitetur, omnis à Reipublicæ procuratione avaritia atqve

ambitio arcenda exterminandaqve eſt longisſimè [c].

(a) *Demagogi fuére Duces & adulatores Athenienſis populi, homines lingvâ præpotentes, & eloqventiâ præſtantes, qvâ facilè poterant populi animos ſuas in partes pertrahere. Duplici hi viâ Rebuspublicis interitum afferunt. Vel qvando populo adulantes, ejusq́; res nimis dilatare cupientes, nobilibus occaſionem præbent contra plebem conſilia ineundi: vel qvando ipſam plebem contra Patritios armant & exſtimulant.* Arniſ. Doct. Pol. l.2. c.4. p.m.201. *Hos apud Romanos referebant Tribuni plebis, de qvibus legendus* Cicero in Orat. de L. agrariâ. *Hodiè inſtar eorum habemus in Jeſuitis, omnis neqvitiæ & malitiæ fabris vaferrimis, qvi ſimulatâ pietate, fictâq́; ſanctimoniâ vitæ callidè & aſtutè Magnates ſciunt dementare, & ad voluntatem atq́; nutum ſuum flectere.* Avenar. Coll. Pol. Diſp.16. th.8. *Imò inſtruunt hanc ſcenam nonnunqvam (qvod tamen ſalvo venerandi Miniſterii Eccleſiaſtici honore dictum ſit) indocti, novandarumq́; rerum ſtudioſi concionatores, veriùs debacchatores. Vid.* Clap. l. 4. de Arcan. rerumpubl. c.32. (*b*) *Hoc fine Auguſtus, Tiberius,* Clau*dius, Veſpaſianus, aliiq́; Romani Imperatores, hâc in populum liberalitate ſemper uſi leguntur. Vid.* Forſtn. ad Tacit. Ann. 5. & 12. c.43. Im Hof. Rat. Stat. 38. *Pertinet huc, ut militibus juſto tempore ſtipendia exſolvantur, neve Præfectorum rapacitate iisdem defraudentur: cùm ſecùs graviſſimi tumultus orti, defectioni & corruptioni hoſtium anſam præbeant. Ita Hiſpanus miles in Belgio ſæpiùs hanc ob cauſſam tumultuans magnam fœderatis rei benè gerendæ occaſionem dedit. Vid.* Meter. ad Ann. 1576. 1599. & 1600. (*c*) *Cùm enim honores iſti & annua penſiones nihil aliud ſint, qvàm fidei ſolicitamenta, fieri non poteſt, qvin in eorum gratiam, à qvibus velut mercede conducti ſunt, multa dicant faciantq́;. Sapienter itaq́;, nec ſine magno ſummæ in Patriam charitatis documento* Epaminondas Thebanus, *cùm à Diomedonte juſſu Regis ejus abſtinentia & fides argento tentaretur:* Nihil pecuniâ, *inqvit*, opus eſt; nam ſi ea Rex vult, qvæ Thebanis ſunt utilia, gratis facere ſum paratus: ſin autem contraria, non habet auri atqve argenti ſatis. Namqve orbis terrarum

rum

rum divitias accipere nolo pro Patriæ charitate. *Idem etiam Micythum adoleſcentulum plurimum ſibi dilectum, qvem Diomedon jam ad ſuam voluntatem perduxerat, argentum eidem reddere coëgit. Corn. Nep. in vitâ Epaminond.* *Sic* Fridericus *qvoq;* Elector Saxon. qvi auguſtis virtutibus ſuis Sapientis apud poſteros nomen promeruit, *cùm Carol. V. Imp. electionis causâ, illi priùs, deinde ejus Conſiliariis magnam argenti vim offerrent Hiſpani; & ipſe generoſo, dignoq; tanto Principe animo recuſavit, & conſiliariis, ſi ſui eſſe velint, qvicqvam accipere probibuit.* Zincgref. in Apophth. vid. Lebleu Inſtruct. futur. conſil. c. 11. *Præterea cùm non leve ſit monarchici ſtatûs arcanum, publicam liberalitatem ſolùm exercere, dignitatesq; conferre, qvippe qvibus amor ſubditorum conciliatur, & benevolentia civium; non committendum, ut alius ejusdem comparandæ inſtrumenta in manu babeat.* Boxhorn. Inſt. Pol. l. 2. §. 3. § 19. *(d) Nullum vitium eſt tetrius avaritia, præſertim in Principibus & Rempublicam gubernantibus.* Habere enim qvæſtui Rempublicam non modò turpe eſt, ſed ſceleratum etiam & nefarium. Itaqve qvod Apollo Pythius oraculo edidit: Spartam nullâ re aliâ, niſi avaritiâ, eſſe perituram; idem videtur non ſolùm Lacedæmoniis, ſed & omnibus opulentis populis prædictum. Cic. l. 2. de Off. *ut inde rectisſimè* avaritiam & ambitionem materiam omnium malorum Romanis fuiſſe *dicat* Salluſtius in bell. Catilin. Namqve avaritia, *ait*, fidem, probitatem, cæterasq; artes bonas ſubvertit; pro his ſuperbiam, crudelitatem, Deos negligere, omnia venalia habere, edocuit: ambitio multos mortales falſos fieri ſubegit; aliud clauſum in pectore, aliud promtum in lingvâ habere; amicitias inimicitiasq; non ex re, ſed ex commodo æſtimare, magisq; vultum, qvàm ingenium bonum habere.

THESIS XVIII.

EXitioſa porrò Reipublicæ inteſtina odia & factionum contraria ſtudia præcavere poterit providus Imperii adminiſtrator, ſi initiis

primæq; veluti infantiæ maturè occurrat, & in ipſâ herbâ nefaria conſilia prudenter opprimat[a]. Sed ubi adulta hæc mala ſumtis viribus in bella civilia, in ſeditiones, & rebelliones degeneraverint, qvædam vi & fortioribus remediis, plurima tamen conſilio & prudentiæ artibus peragenda ſunt[b]. Non parùm ſiqvidem nocuit Philippo II. Hiſpaniæ, Henrico III. Galliæ Regibus, immatura in capita factioſorum ſeveritas[c], qvâ non extingvitur, ſed magis exacerbatur irati populi furens ſeditio.

(a) Seditionis namqve initia ſunt periculoſisſima, qvæ niſi extingvantur, ad alias ejusdem Reipublicæ urbes, atqve etiam vicinas ſæpè emanat. Thucydid. l. 3. *Proinde* Alexander M. *cùm Græcorum nunciaretur defectio, tantâ celeritate eos oppresſit*, ut qvem venire non ſenſerant, videre ſe vix crederent. Juſtin. l. 11. c. 2. Ita nempe, *verba ſunt* Grammondi l. 9. Hiſt. Gall. uſu venit in civilibus bellis, per longiores moras mala invaleſcunt, ſeròq; velut humano corpori medicina paratur, cũ data veneno ſpatia, qvibus ſe in venas inſinuet. (b) *Remedia factionũ ſeditionumq́; tàm qva conſilio, qvàm qva vi perficiuntur, cùm latisſimè multisq́; clarisſimis exemplis perſeqvatur* Vir ſtupendæ eruditionis & prudentiæ Forſtnerus ad Tacit. Ann. 4 & 11. Clarisſimusq́; Boxhornius Inſtit. pol. l. 1. c. 14. *multa ex iis recenſere ſuperſedeo, & eorum ſaltem facio ſummam. In factionibus itaq; (1.) Princeps operam det, ut nomina illarum extingvat, & cum nominibus memoriam, qvod Genuenſes, abolitis* Gvelphorum & Gibellinorum, Adorniorum & Fulgoſiorum *vocabulis, feciſſe conſtat.* (2.) *Neutri parti ſe adjungat, niſi una vel apertâ petulantiâ, vel occultis inſidiis regiam Majeſtatem imminuat;*

tum

tum poterit alteri ſe ducem ac caput præbere, & perfidiam, ſi neqvit aliter, armis ulciſci. Si verò utraq; factio in Principem infeſtum occultis ſtudiis gerat animum, nec ipſe arma arripiet, & ſi poterit, ea furentibus extorqvebit, aut ſaltem ita temperabit, ne alterâ factionum ſuperatâ, altera nocentior, & ſine æmulo inſaniat. Fiet autem hoc optimè, ſi pacem inter diſſentientes & concordiam conciliet: ita enim extingvetur odiorum flamma, ſiſtetur armorum curſus, disſilient fœdera ac disſipabuntur, qvibus nulla, niſi in turbido, ſpes; dabitur Principi per otium absq; omni periculo vindicandæ injuriæ occaſio. (3) Duces factionum, qvi inſtar capitis ſunt populo, qvo remoto & vitam & motum amittunt, ſpecie honoris ab exercitu revocet, aut longinqvi belli vel Legationis commiſſo munere à factioſis ſemoveat, ac ſejungat longisſimè. (4) Discordiæ ac mutuæ ſuſpicionis cauſſas inter factionis ſocios ſerat. (5.) In populi aut urbis ſeditione divellat per artes ſeditioſos, & dividat loco, qvi animo ad eosdem motus augendos conjuncti ſunt. (6.) Aut occultis præmiis, aut viri gravis, & ad populum gratiâ & auctoritate pollentis, miti oratione ac amicis monitis retrahat qvosdam ad obſeqvium, alliciatq;. (7.) Præteriti furoris ſancitâ publicâ amneſtiâ, malorum pœnitentiæ, bonorum conſenſui det ſpacium. (8.) Oppresſis turbis & ſedatâ rebellione, (in ipſo enim ſeditionis ardore pœnis neutiqvam graſſandum) auctores ſceleris in terrorem increſcentis audaciæ ad promerita ſupplicia rapiat: ita tamen, ut ad omnes metus, ad paucos pœna perveniat. Plura qvi de remediis horum in corpore civili morborum cognoſcere cupit, conſulat Petr. Gregor. Tholoſ. de Republ. integro libro 23. cui addatur Martinus Schockius, integro Tractatu de Seditionibus, & Clariſs. Bœclerus c.3. obſerv. ad hiſtor. ſedit. ap. Tacit. Ann. 1. ubi tamen imprimis de remediis adverſus militarem ſeditionem agit. (c) Forſtner. ad Tacit. Ann. l.11. c.19. ubi militarem ſeditionem, aut unius civitatis motum, ſublatis ſeditionis auctoribus facilè eſſe, inqvit, componere: at cùm totæ provinciæ nutent, illorum, qvi in populi animis regnant, ſupplicio exaſperari magis, qvàm reprimi malum. Hinc benè præcipiunt, qvi monent, aſperis in hoc caſu remediis & violentis conſiliis minimè eſſe locum: cùm & Sigiſmundus, Poloniæ Rex, paterno Sveciæ Regno exciderit, dum immaturis armis patriam laceſſiverit: & Carolus, Britanniæ Rex, bello ſubditorum inſaniam in

extre-

extremam, ſibi ac toti familiæ regiæ fatalem, rabiem concitaverit. Unde conſtat, qvàm facile fuiſſet Philippo II. Hiſpaniæ Regi, *Belgium ſuperiori ſeculo in officio retinere, ſi* Roderici Gomezii *orationem (qvæ extat apud* Fam. Strad. Hiſt. Belg. l. 6.) *mitiorem eqvidem, qvippe disſvadentem in Belgas bellum, ſed, qvantum experiundo cognitum eſt, prudentisſimam, valere apud ſe fuiſſet paſſus.* Remedia enim *(ait falsè* Scipio de Caſtro Diſſert. de Matthiæ in Belgium profectione, *qvam exbibet* Honor. Continuat. Theſaur. pol. p. m. 64.) qvæ hactenus ad expurgandos humores Belgicorum Statuum adhibita ſunt, Legum ſcilicet rigor, & vis armorum, nihil aliud effecerunt, qvàm qvòd ægrotum debilitârunt, medicum defatigârunt, & ipſum morbum exaſperârunt.

THESIS XIX.

Legationes perpetuæ aut prudenter avertendæ, aut ubi admiſſæ fuerint, ſimiles deſtinandæ ad mittentium aulas: ut per qvos fallere cogitant, ipſi circumventi, ſuis ſe artibus oppugnari ſentiant [a]. Hoſtilis verò Legatio, aut qvæ ſtudio novandarum rerum ſuſpecta eſt, (erit autem, qvoties de ſubdolo vafroq; hoſtis ingenio conſtat) vel non admittenda, qvo pacto Fridericus Ænobarbus Pontificis Legatū Germaniam intrare prohibuit [b], vel, qvàm primùm audita fuerit, expedienda eſt. Eligendi inſuper ex Aulæ adminiſtris homines cati, & qvorum fides ſolertiaq; perſpecta eſt, qvi qvo-

dam

dam officii nomine illis adſint, utq; ſecurè fines Imperii tranſeant, asſiduè comitentur [b].
Qvæ in Legatis, eadem in transfugis prudens adhibenda cautio. Non enim temerè ejusmodi hominibus credendum, ſed omnes eorum actiones accuratisſimè obſervandæ, examinandæq; ſunt; tantò magis, qvò citiùs illuſtri loco geniti fidem apud rerum ignaros inveniunt. Et licèt qvàm honorificentisſimè accipiendi, habendiq; ſint, eò tamen noſtra non procedet credulitas, ut aut urbium cuſtodiam, aut ſummam rerum, aut ſecretiora conſilia, profugis parùm circumſpectè committat.

(a) *Qvamvis non teneatur Princeps continuè obſervatorem ſuarum actionum in Aulâ tolerare, qvales, judicio* Magnif. Dn. Ziegleri, in not. ad Grotium de J. B. & P. l.2. c.18. §.3. *ſunt* Legati ordinarii, ſive asſidui: *Vid.* Theſ. Arcan. Polit. Clapmar. Schock. l.9. c. 15. *attamen cùm inveteratâ inter Principes conſvetudine receptum ſit, Reſidentem ab amico Principe miſſum non recuſare, prudentia, & ſumma fidisſimorum hominum in ſecretis conſiliis, & arcanis rebus taciturnitas illorum ſolertiam fruſtrabit. Ubi verò occulta Principum odia prorumpunt, & ad bellum res ſpectare incipiunt, in tempore iſti Legati, celeriterq; amovendi ſunt, ſicuti id* Gremovillio & Gravellio, *Chriſtianisſimi Regis Viennæ & Ratisbonæ Oratoribus, haud ita pridem contigiſſe conſtat.* (b) *Teſtatur hoc ex* Gunth. Ligurin. l.6. Clap. l.3. c.4. *Qvin etiam idem Fridericus, impoſitis Alpium clauſtris, cuſtodibus prohibuit eos Romam proficiſci, qvi ad Romanum Tribunal provocaverant. Non tamen facilè repellenda videtur Le-*

gatio, ſed potiùs juri hoc gentium dandum, ut admittatur, niſi aut cognita omninò hoſtis perfidia, aut ſalus Reipubl. qvæ ſemper ſuprema Lex eſto, *aliud ſvadeant.* Zevecot. not. polit. ad Flor. l. 2. c. 6. Marſelaer de Legat. l. 2. diſs. 13. (c) *De iſtis cautionibus vid.* Marſelaer in Commentariis ſuis, qvas de Legato egregiè compoſuit, l. 2. diſs 19. *Cui & illud addendum eſt exemplum, qvod, cùm Venetis miſſus à Maximiliano Legatus ſuſpectus eſſet, admiſſus qvidem, verùm ut ſecuritati ſuæ conſulerent, cuſtodes, blandiori ſociorum nomine minùs odioſi, adjuncti illi fuerint, qvi, ne qvem injuſſu Patrum alloqvi poſſet, impedirent.* Bemb. l. 7. Hiſt. Vener. (d) *Jubent prudentiæ Leges non temerè transfugis habere fidem, & Theſi 7. lit. (a) à nobis propoſita exempla, qvà diffidentiâ opus ſit ſatis admonent.* Vid. Zevecot. ad Flor. l. 1. c. 17. Lentul. in Aul. Tiber. ad An. 2 Tacit. Aph. 25. *Nimirum aut non admittendi transfugæ, occupandiq́; in publicis negotiis, aut occupandi in iis, in qvibus prodeſſe qvidem poſſint, aſt nocere, ſi fortè velint, neqveant. Tametſi enim verè à ſuis læſi ſint, verendum tamen, ne charitate patriæ ducti aliqvando à ſe deſciſcant, & cum ſuis in gratiam redeant, qvod in* Alcibiade metuerunt Lacedæmonii. Corn. Nep. in vit. ejus c. 5.

THESIS XX.

QVod ſi qvis amoris ſimulatione, fictoq́; non modò ſermone, ſed etiam vultu imponere imperantibus conabitur, dabunt operam, ut partim diffidendo, partim disſimulando, in qvibus omnis prudentiæ in Republicâ gubernandâ nervus conſiſtit, reprimant aſtuta conſilia [a]. Deinceps ſolerti indagatione inqvirant animorum, ingeniorum, & morum abſconditos receſſus in iis, qvi amicitiæ ſpeciem ſimu-

ſimulatè præferunt. Fieri autem haud poterit, qvin ſtudia, propenſiones, exterior actionum indoles, corporisqve notæ fraudulentum animum, & latitantes adfectus aliqvo modo ſapienti prodant [b]. Qvamobrem ſicuti in genere expedit, blandâ affabilitate omnes habere comiter, paucisſimos contractâ amicitiâ arcanorum Imperii facere participes: ita horum qvoqve fidei ſic innitendum, ut perfidia, futuraq; odia ſemper vereantur. Reconciliatæ autem amici gratiæ qvis, niſi humanarum fraudium expers, ſincerè confidet [c]? Ex qvo illud etiam apparet, infida affinitatum fœdera aut recuſanda [d], aut, ſi illud necesſitatis ratio haud patitur, pari prudentiâ moderanda, inſidiasq; declinandas eſſe.

(a) *Cùm in genere nullæ tutiores fortioresq; adverſus inſidias & impoſturas, nota regnantibus mala, artes ſint diffidentiâ & prudenti disſimulatione, inprimis qvoq; evitandis fucatæ amicitiæ malis inſerviunt. Qvamvis enim illi non minùs odio digni ſint, qvàm inferorum portæ, qvi aliud ore proferunt, aliud animo conditum habent;* Hom. Iliad. 9. *haud rarò tamen neceſſe, ut aperiamus frontem, & mentem claudamus. Hinc illud vulgare:* Neſcit regnare, qvi neſcit disſimulare. *Ad qvam proximè accedit diffidentia, unde eam meritò Principi inſinuat* Lipſius l. 4. Polit. c. 14. qvia ut in actionibus omnibus tardum lentumq; eum eſſe expediat, ſic in fide &

 allen-

aſſenſu. Nihil enim, *inqvit* Marſel. de Legat. l.1. diſs.41. ſincerum, nihil ſimplex, nec apud amicos certa fides: tota hujus mundi ſecuritas à diffidentiâ dependet. *Inde Gallis hoc natum proverbium:* La ſobriete & la desfiance, ſont les nerfs de la prudence, *i.e. Sobrietas & diffidentia ſunt nervi prudentiæ.* Lebleu Inſtruct. futur. Conſil. c.12. *Confer, qvæ* Petr. Gregor. Tholoſ. de diffidentiâ Principis erga amicos monet l.22. de Rep. c.11. *Diſſimulatio verò omninò adminiſtranti Rempublicam erit neceſſaria, & contra fallacia amicorum fœdera utile remedium, nec à SS. literis alienum, teſte* Mich. c.7. v.5. Nemo credat amico ſuo, nec confidat Principi. *Qvâ in re dum calliditate atq; aſtutiâ maximè opus eſſe, eamq; laudandam ſtatuit* Carol. de Grobendoncq. Tr. de ort. & progreſſ. ſpir. Pol. prooem. n.312. & 313. *abuti videtur vocabulis, non tamen ſine exemplo; ſiqvidem aſtutiam in bonam partem etiam in SS. literis accipi, ex Auguſtino docet, prout videlicet profundior qvædam & ſ[illegible]ertior ſapientia iſto nomine venit, qvæ à Polybio* πολιτικὴ συνυπόκρισις; *à Plutarcho* καμπὴ καὶ περιαγωγὴ, *tranlatione à re militari vel eqveſtri deſumtâ, appellatur.* Qvæ eò minùs vituperanda, ſi fidei, honeſtatis & veracitatis terminos non transgreditur. Clapm. l.1. Arcan. Rerump. c.5. & 6. Didac. Savedra Symb. Polit. 43. Heider. in Polit. c.2. de formal. Reipubl. pag. 294. ſeqq. (*b*) *Hæc eſt illa notitia, cui præcipuos prudentiæ nervos debemus. Cui comparandæ præter a[illegible]ios auctores imprimis facit incomparabile opus* Scipionis Claramontii, Cæſenatis, de conjectandis cujusqve moribus & latitantibus animi affectibus. *Conf. &* Boeclerus diſſert. de Politicis Lipſii, c.3. ejusdemqve characteres Vellejani, haud ignobile hujus Philoſophiæ ſpecimen. (*c*) *Erat hoc* P. Corn. Scipionis, *contra concionem in Senatu* Q. Fabii maximi, *reſponſum, monentis:* ne Syphacis & Maſaniſſæ ſocietati nimium confideret, qvia fraus ſibi præſtrueret fidem in parvis, ut, qvum operæ pretium ſit, cum magnâ mercede fallat. Liv. l.28. c.44. *Cui illud* Biantis *apud* Val. Max. l.7. c.3. *haud diſſimile eſt.* Ita enim ajebat oportere homines in uſu amicitiæ verſari; ut meminiſſent, eam ad gravisſimas inimicitias poſſe converti. (*d*) Theſ. Clapmar. Schock. l.2. c.2. (*e*) *Sic* Fridericus Neapolit. Rex Cæſari Borgiæ *filiam in matrimonium dare, licèt infelici eventu, dubitabat: videbat ſiqvidem, inhianti Re-*

gno

gno ſuo offerre conditionem, quâ commodiùs cogitata perficeret, iniquum ineptumq́; fore. Gvicciard. l.4. Theſ. Arc. Clapm. Schock. l.2. c.13. *Vid. &* Lentul. dub. 409.

THESIS XXI.

FOedera, cùm & ſalus Imperii, & imminens hoſtium terror, & penè neceſſitas inire jubeat [a]; ne plus nobis noceant, qvàm proſint, cum paucis [b], iisq́; paribus potentiâ [c], qvia ſuperioris leonina ſocietas, inferioris vana ſine viribus futura opitulandi voluntas [d], ſancienda ſunt. Qvæ tùm firmisſima, nec ex temporis oblato commodo rumpenda videntur, ſi communis, ex nimiâ alterius invaleſcentis potentiâ, metus in armorum conſiliorumq́; ſocietatem fœderatos traxerit [e]. Nulla tamen cum perfidis, & qvorum venalis fides, & aſtutum ingenium ad utilitatem ſuam omnia refert, fiat fœderis conjunctio [f]: niſi loco munitiore in pignus fidei nobis tradito promiſſas fœderis leges conſtanter ſervare, veluti arctisſimo vinculo, adſtringantur [g].

(a) Principis potentiam non minùs fœderatorum viribus, qvàm ſubditorum robore niti, qvippe qvæ tanqvam ſeparata ſint Regni propugnacula, *verè judicat* Auct. Miniſt. Card. Richel. l. 4.

l.4. c.25. Pol. rem. & l.8. c.54. *ut præclarè dixerit* Excellentisſimus Dn. Præſes, Patronus ac Promotor ſtudiorum meorum nunqvam absqve ſingulari debiti obſeqvii veneratione mihi nominandus, doctiſs. de Fœdere diſſert. §. 4. Tolle fœdera, & eâdem operâ totius humani generis felicitatem omnigenam auferes. Qvid enim æternâ inter ſe bella gerentibus mortalibus exſpectabis aliud, qvàm miſerrimam totius univerſi conflagrationem? (*b*) Fœdera inter multos inita eâ firmitate non ſunt, ut ſperari non posſit, unum fœderatorum aut remisſiorem fore, aut ab aliis disjunctum iri, cùm citò primi impetus deferveſcere, citò varietate ſententiarum inter eos exortâ fides debilitari ſoleat. Gvicciard. l. 2 hiſtor. Zevecot. not. Polit. ad Flor. l. 1. c.17. Theſ. Clapm. Schock. Arcan. Polit. l.12. cap. 1. *Ita bellum, qvod ex fœdere inter Pontificem, Regem Neapolitanum, Ducem Mediolanenſem, & Florentinos adverſus Venetos gerebatur, maximis ſumtibus cœptum, ortâ inter Duces diſſenſione atq; æmulatione, non præter ignominiam finitum eſt.* Nic. Machiav. Hiſt. Flor. l. 8. p.m. 493. (*c*) *Fœdera ista cæteris validiora eſſe & minùs periculoſa.* Cl. Boxhorn. Inſtitution. Polit. l. 1. cap. 11. §. 12. *arbitratur, præſertim ſi ab iis, qvi fœdera paciſcuntur, commune aliqvod concilium, qvod de eorum inter ſe controverſiis poſteà cognoſcat, & judicet, communi conſenſu conſtituatur.* Qvam fœderum illibatorum conſervandorum optimam expeditisſimamq; rationem eſſe *ait* Thucyd. l.5. Hiſtor. *Pertinet & illud ad fœderis perpetuitatem, ut certo tempore ejus leges renoventur, & confirmetur ſociorum concordia amicitiaq;, qvæ temporis alioqvin diuturnitate & ſilentio paulatim refrigeſcere ſolet, atq; intermori.* Theſ. Arcan. Reip. Clapm. Schock. l.12. c.3. *Qvo pacto in fœdere octo antiqvorum pagorum Helveticæ Reipubl. A.* 1481. *conſtitutum eſt, ut exacto qvovis qvinqvennio jurejurando æterni fœderis fides ſubinde redintegretur.* Joſ. Simler. deſcript. Regim. Civit. Helvet. l. 1. p.m. 91. *Et unitis Belgii provinciis, A hujus ſeculi 51. fœdus Trajectinum ſolemni ritu publicis Hagæ Comitis comitiis renovatum. Vid.* Philipp. Cæſii Leo Belg. Sect. 9. (*d*) *Uti infirmis ac impotentibus jungi neutris ſalutem, ſæpè utrisq; perniciem adfert.* Schönborn. Polit. l. 4. c.26. *Ita contra validiorum ſocietas infirmiores atterit: Victoria enim & bellorum præmia ſibi tribuunt, diſcrimina ad*

leo-

leonini fœderis legem, *qvam* Phædr. l.1. fab.5. *eleganter deſcribit*, & *laborum pericula ex æqvo*, *ſæpè etiam ex iniqvo partiuntur*. Solent præterea, *teſte* Forſtnero, ad l 6. Ann. Tacit. Principes, qvi alienis imperiis in varios Dominos diſtractis inhiant, conjunctis ſibi minoris potentiæ Regulis majores opprimere, iisq; ſubactis, nullâ priorum fœderum, nullâ auxiliorum aut beneficiorum habitâ ratione, ambitioſas & avaras manus ad ſocios extendere. *Vid. qve pluribus in hanc ſententiam*, *cum qvibus ſcilicet fœderis ſocietas contrahenda*, *eruditè atq; prudenter diſſerit* Excellentiſs. Dn. Præſes ſupr. cit. de fœdere diſſert. § 10. usqve ad 20. (*e*) *Sic Batavos*, *Gallos & Anglos Hiſpanorum graviſſimæ in has gentes machinationes*, *& maximarum virium invidioſus tremor fideli fœdere qvondam conjungebant*. Forſtn. ad l. 12. Annal. c.15. (*f*) *Enimverò* qvicunqve turpi fraude ſemel innotuit, meritò amittit fidem, Phædr. l 1. fab. 10. *nec ei ampliùs credi oportet*. *Ut adeò optima ſit adverſus verſipelles & perfidos cautio*, *fugere eosdem tanqvam orcum*, *& angve pejus habere odio*. Anti Machiav. l.3. theor. 18. *Taceo enim*, *eos modis omnibus fœderatis ſuis im poſituros*; *verendum præterea*, *ne*, *cùm hoſtes irritaverint*, *præcipitatâ pace periculis & caſibus ſe ſubtrahant*, *nobis in prædam & injuriam relictis*. *Verùm an & cum hæreticis aut infidelibus pangenda fœdera*, *& num illis fides ſervanda? Vid.* Heider. in Polit. *c*. 2. *p*. 295. & Jacob. Schultes Tr. ſing. de hâc Qvæſt. *Ubi ex Jure Divino*, *Pontif. & Civili Affirm. defendit*. *Vid. etiam* Auct. Miniſt. Card. Richel. l. 8. c. 43. pol. rem. *In qvarum tamen definitione τὸ συμφέρον cum eo*, *qvod licitum eſt*, *haudqvaqvam confundendum*. (*g*) *Nam cùm ex ſeculi genio* non chartæ & ſcripturæ, ſed vis ac neceſſitas Principem ad ſervandam fidem adigat. N. Machiav. l. 8. Hiſt. Flor. *ſæpiſſiméq; à pactis reſilire fœderati ſoleant*, *idoneum remedium erit*, *ut à parte ſuſpectâ munitæ arces*, *aut urbes aliqvot*, *velut pignora*, *in alterius partis*, *vel ſi hoc minus tutum videtur*, *in tertii cujusdam veluti ſeqveſtris manus ad tempus conſignentur*. Forſtn. ad l.2. Ann. Tacit. Auct. Miniſt. Card. Richel. l. 2. p. 95. *Conf. pluribus* Eberhardus à Weihe in opere civili prudentiâ refertiſſimo, cui Meditamentorum pro fœderibus titulum præſcripſit.

THE-

SEd uti in fœderibus, ita in ſanciendâ pace & pangendis induciis circumſpectione maximè opus eſt[a]. Præcipuè autem cavendum, ne pacis & induciarum ſpecioſa nomina adeò Principem decipiant, ut omnem, ceſſante armorum uſu, militiæ curam negligat[b]: Ita enim & imparatis viribus inopinanti hoſtium irruptioni reſiſtere non valebit, & robur gentis, virtusq; populi otio diffluet, luxuriâ enervabitur[c]. Qvi autem fidam perpetuamq; pacem deſiderant, videbunt, ut qvàm æqvisſimis conditionibus cauſſa bellorum penitùs tollatur[d]: qvæ cùm veluti fons ſit malorum, omnisq; controverſiæ, vano labore rivulos conſectantur, qvi eâ manente integrâ ſe diuturnum amicitiæ fœdus, initâ Pacis transactione, habituros autumant. Prætereà non ſaltem jurejurando confirmandæ ſunt publicæ fidei tabulæ, ſed etiam datis obſidibus, & eorum, qvi conciliârunt pacem, interpoſitâ fide, ſecuritati Reipublicæ ſapienter providendum.

(a) *Licet certa pax ſperatâ victoriâ tutior meliorqve ſit, cavendum tamen imprimis, ne adverſariorum dolo atqve perjuriis decipiatur incauta ſimplicitas.* Freqventius enim conventionum paciſqve ſimulationem credulis, qvàm arma nocuiſſe, teſtis eſt Veget. l. 3. c. 3. de re milit. *Hinc rectè* Marſelaer de Legat. l. 2. diſſ. 20. *monet*: Qvod ſi de Pace agatur, qvæcunqve ad bellum faciunt, præparanda ſunt, agenda omnia majori etiam curâ, mendaci Mercurio Mars opponi debet, fallenti Minervæ ipſa Bellona. *Sic Ptolomæus Philopator exceptis humaniſſimè Antiochi aliorumqve Legatis, qvi de pace venerant, delectum nihilominus ſummâ diligentiâ habebat* Polyb. l. 5. Semper enim, qvanqvam amicitiam ſimulet ac pacem, eamqve adferat, metuere illum debes, qvem læſeris, & tanqvam læſurum per blanda Pacis nomina eum habere ſuſpectum, qvi ſemel lædere eſt conatus. Boxhorn. Inſtit. Pol. l. 1. c. 13. §. 2. Provida *itaqve* & ſapiens diffidentia firmiſſimum adverſus ejuſmodi fraudes & inſidias erit munimentum. Dominic. Baudius in orat. de Induc. Bell. Belg. (b) *Cùm minimè tutum ſit, ſuſpectâ pace (qvæ ſemper erit, qvoties cum perfidâ gente res erit) aut Induciis in certum tempus pactis, dimittere & exauctorare omnem militiam; neceſſaria belli meditatio etiam in pace erit; & ſine bello qvidem, qvà licet, nunqvam ſine armis Princeps eſſe debebit.* Nunqvam enim Imperator ita Paci credat, ut non ſe præparet bello, qvod etiam, dum non geritur, pro indicto habendum. Senec de vit. beat. c. 26. Qvàm dubiæ ſiqvidem ſunt res humanæ, qvàm fluxa hominum fides, qvàm facilè inferuntur injuriæ, & illatæ creduntur; tàm nihil in pace æternum, & facilè pax in bellum mutatur. Boxhorn. Inſtit. pol. l. 1. c. 13. §. 10. *Qvapropter cum Conſtantinus M. propter omnia ſuo tempore qvieta ſecurus, milites Imperii limitibus cuſtodiendis admotos dimitteret, Barbaris aperuit viam, in intima Imperii viſcera irrumpendi.* Septal. de rat. Stat. l. 2. c. 21. *Non ignaviâ magna Imperia continentur; virorum armorumq́; faciendum eſt certamen. Ut adeò non mirandum, victorem principemqve populum Rom. exercitato perpetuis bellis milite, invictum reddidiſſe Exercitûs ſui robur, & Imperium Orbis Terrarum fuiſſe adeptum. Turcarum etiam ſuper arma fundatam magnitudinem, militari virtute aſſiduisqve induratâ Janizarorum phalange expeditionibus, in tot*

regnorum excidia evaluiſſe conſtat. Vid. Forſtn. ad l. 4. Ann. Tacit. ubi luculenter, qvæ ab armis ad Principem, aut Rempubl. mala, qvæqve ex diverſo bona perveniant, exponit. *Cui add. qvæ ad* 15 Ann. c. 1. *annotat.* (c) *Non facilius certè ferocia populorum pectora molleſcunt, qvàm longâ pace, qvæ otium, luxuriamq́; , certiſſima Rerumpubl. interitûs mala, ſemper peperit.* Sic enim ferè peſſundata maxima Regna, ubi ſatietate gloriæ ad ſummum provecta, abſtinere exercitio armorum, immergi voluptatibus, curas graviores omittere, pacem appellavere. Forſtn. ad l. 11. Ann. Tacit. c. 18. *Hinc* Tacit. in vit. Agric. c. 11. Plus tamen ferociæ, *inqvit*, Britanni præferunt, ut qvos nondum longa pax emollierit. Nam Gallos qvoqve in bellis floruiſſe accepimus. Mox ſegnitia cum otio intravit, amiſsâ virtute pariter ac libertate. *Vid.* id. ibid. c. 21. *Patet itaqve, qvàm callido conſilio Cyrus Perſarum Rex rebellantibus Lydis arma & eqvos ademerit, juſſeritqve cauponas & ludicras artes exercere. Scilicet, qvod nec eventu caruiſſe* Juſtin. l. 1. c. 7. *prodidit*, ut gens induſtria, qvondam potens, & manu ſtrenua; effæminata mollitie luxuriâqve, virtutem priſtinam perderet; & qvos ante Cyrum invictos bella præſtiterant, in luxuriam lapſos otium ac deſidia ſuperaret. *Qvem in finem captas Civitates prudenter inter ſocios diviſere Romani, aptiorem gloriam, qvàm poſſeſſiones voluptuarias judicantes*, qvippe victoriæ gloriam Romano nomini vindicandam; opum luxuriam ſociis relinqvendam. Id. l. 31. c. 8. *Unde aſſerere non dubitat* Tacitus 4. Hiſt. c. 65. plus voluptatibus, qvàm armis Romanos adverſus ſubjectos valuiſſe. *Ut proinde verè dixerit* Erycius Puteanus, Hiſtor. Inſubr. l. 3. p. m. 40. *cùm fugatum victumqve Deſiderium à* Carolo M. *enarrâſſet.* Qvid mirum? Jam ſeu feſſi, ſeu delicati Longobardi, & ducentorum plus minus annorum deliciis in Italiâ emolliti, deſierant fortes eſſe. Sic ætate ac morâ labefactantur omnia, ſed ſi corruptela accedit, præmaturo vitio corruunt. *Qvò plus cauſſæ habebat* Manlius *præmonendi milites, caverent Aſiaticum luxum*: Vobis mehercule Martis viris cavenda ac fugienda qvamprimùm amænitas eſt Aſiæ: tantum hæ peregrinæ voluptates ad extingvendum vigorem animorum poſſunt: tantum contagio Diſciplinæ morisqve accolarum valet. Liv. l. 38. c. 17. *Addatur* Forſtnerus ad

Tac

Tac. 1. Ann. p. 135. (d) Boxhorn. Inſtit. pol. l. 1. c. 13. §. 4. & 5. Forſtn. ad 12. Ann. Tacit. p. 247. & 248. Burgman. Annot. ad Per. 9. Stypm. de Sincerat. p. 247. & 248.

THESIS XXIII.

CÆterùm qvamvis Induciæ non facilè ſint concedendæ, [a] ſi aut hoſti dent reparandarum virium, fortiusq; nobis reſiſtendi commodam occaſionem, [b] aut ſecundum nobis continuæ victoriæ curſum inhibeant. Attamen ubi evidens noſtrarum partium utilitas, ad reficienda langventia perpetuis bellorum laboribus militum corpora, aut comparandam annonam, aliaqve belli neceſſaria inſtrumenta, easdem ſvadet, & prudentia inſuper jubet, ne ad deſperationem, qvæ in virtutem ſæpius converſa multos & præſenti periculo liberavit, & ad res arduas inſano qvodam furore, felici verò ſucceſſu audendas ſtimulos addidit, hoſti aperiamus viam, pangendæ illæ qvidem ſunt, ſed ne partim iſtæ cautiones, qvæ pacem reddunt ſecuram, partim & aliæ, qvas jam recenſebimus, prætermittantur.

(a) *Qvo ſenſu* Auguſtinus in c. Noli 23. q. 1. *illi demum miſericordiam deberi cenſet, in qvo pacis perturbatio non amplius time-*

 tur

tur. (b) *Motus hâc ratione Froto* Rex Daniæ, *nunqvam hoſti dandas affirmabat inducias, ne inſtrueretur novis conſiliis & auxiliis.* Alb. Cranz. 1. Vandal. 9. *Cui etiam inſtitit* Henricus IV. *Galliarum Rex in recuſandis induciis, qvas Dux Sabaudiæ petierat.* Petr. Matth. 3, 4, 9.

THESIS XXIV.

CAput itaqve erit brevem temporis terminum conſtituere Induciis, qvia eo modo fraudulentæ molitiones anguſtiâ temporis nec perfici poterunt, & militum animi otii dulcedine ineſcati hoc minus vitium capient. Porrò expediet, initis cum hoſte Induciis, bellum aliis inferre, qvò præter ſpem eorum latera & jugulum tacitè petantur. Omne deniqve Induciarum tempore hoſtium commercium prudentioribus erit ſuſpectum, qvòd militum & miniſtrorum illud fidem corrumpendi occaſionem præcipuam ſuppeditet: ut inde rectisſimè moneant, qvi in caſtra & munitisſimas urbes hoſtes admittere vetant. [a]

(a) *Cùm eruditè & copiosè has Induciarum cautiones explicent* Magnif. Dn. Strauchius, *JCtus Celeberrimus*, in Diſſert. Acad. de Induciis c. 3. Excellentiſſ. Dn. Schurtzfleiſch, Diſſert. ſingulari, eâqve doctisſimâ, de Induciis c. 1. §. 15. 16. & ſeqq: Boxhorn. Inſtit. polit. l. 1. c. 13. §. 9. Marſelaer de Legat. l. 2. diſſert. 23. Im Hof. Diſc. milit. 16. & 17. *inani operâ vanoqve ſtudio actum agere, plura de iisdem addendo, nolui.*

THE-

THESIS XXV.

Cùm autem callidæ ac doloſæ pactorum Interpretationes multas Transactiones reddant irritas, & bellorum ſæpius exiſtant ſemina, curabunt illi, qvi in publicâ rerum adminiſtratione verſantur, ut planis & perſpicuis verbis, & in famoſiori ſignificatu acceptis, pactorum tabulæ componantur. Qvod ſi verò controverſiæ inde oriantur, non pro ſuo arbitrio alterutra pars interpretationem aliam amplectatur, ſed eam audiat, vel ex iis, qvorum ſtudio pacis fœderumqve Leges coaluerunt, vel rem committat arbitris, eosqve interpretes conſtituat. Qvibus illa interpretatio cenſeri debet optima, qvæ ad finem & inſtitutum fœderum conſeqvendum maximè eſt idonea. [a]

(*a*) Boxhorn. Inſtit pol. l. 1. c. 11. §. 19. Theſaur. Arcani pol. Clapm. Schock. l. 12. c. 2. *Qvò & illud ſpectat, ut inſiſtatur regulis artis interpretativæ, cujus certas tradit regulas* Grotius l. 2. d. J. B. & P. c. 16. & Pufend. l. 5. d. J. N. & G. c. 12.

THESIS XXVI.

Qvemadmodum porrò nullum ſimulatum poteſt eſſe diuturnum, ſic Religionis iſte,

 qvem

qvem callidi plerumqve præferunt, obtentus haud altas radices agere ſolet, tantoq; facilius cognoſcitur, qvò difficilius & nimia ejus ſimulatio fidem apud prudentiores invenit,[a] & qvò minus facta cum ſpecioſis verbis conſentiunt.[b]

(a) *Præclarè ut omnia* Cl. Bœcler. in diſſert. ad vit. Tiber. Sveton. ſubj. *inqvit*: Prudentibus mos eſt non externâ ſpecie actuqve ſed altiori ingenii conjecturâ homines diſcernere. At vulgus ſimulata & ficta à veris parùm diſtingvit, famaqve alimentum ex opinione ſuâ incuriosè diſpenſat. Hinc diſſimulatoribus ſpes ex vanitate vulgi: qvam diſpar eventus conſeqvitur, prout placet fortunæ in rebus humanis ludere. *Nam vulgus infirmius iſtis artibus (nimirum qvæ ſpecie Rel. fiunt) tantum capitur; cæteris qvi pauliſper ex fæce emerſerint, probè gnaris, actiones potius, qvàm verba per ſimulationes aulicorum ſpectanda, experientiâ edocente, id genus mortalium rectiſſimè falſis monetariis comparari, qvi impurum æs auro inducunt, ut fallant. Principes tamen iſtis larvis ita aſſvevere, ut fruſtra ulterius tententur.* Auct. Miniſt. Card. Richel. ad An. 1625. p. m. 72. Sed dupliciter iſti homines peccant, qvi, ut fallant, pietatem & religionem prætendunt, & qvòd peccant, & qvòd Deum, ſive pietatem & Religionem DEI veluti peccatorum auctorem faciunt. Petr. Gregor. Tholoſ. de Rep. l. 11. c. 12. n. 24. *in qvo capite inſuper videantur remedia contra impoſturas Religionis.* (b) *Qvis enim crederet* Philippo II. *Hiſpaniæ Regi, callido illi ſimulatori, & Cæſaris Tiberii in hâc virtute ex aſſe æmulo, dicenti:* Malle ſe omnium provinciarum jacturam facere, qvàm committere, ut qvicqvam, qvod ad Catholicæ Religionis detrimentum pertineret, indulſiſſe videretur. *Cum tamen ipſe & Pater ejusdem* Carol. V. *adverſus Pontificem caput Relig. ſuæ graviſſima in Italia bella geſſerint.* Philippus *etiam gratia omnibus factâ, qvi ab altera parte in Portugalliâ ſteterant, ſemper excepit ſacras perſonas,*

ſonas, ſic ut cunctis ſeverè in eas animadvertendi facultatem conceſſerit. Vid. Auct. Arcan. Hiſpan. dom. c. 2. & 3.

THESIS XXVII.

Cœterùm qvamvis vitæ innocentia, morumq; integritas, & amor civium fideliſſimam Principi cuſtodiam, tutiſſimumqve adverſus inſidias munimentum præſtent, [a] attamen cùm, dicente Liviâ [b] ad Auguſtum ſuum, neqve mirum ſit, neqve ab humanâ ſorte alienum, perniciem creari multa in magno Imperio agenti, multosqve offendenti, majeſtas absqve armis haud unqvam tuta eſſe poterit. Hinc armati ad tuendam ſalutem cuſtodes adſciſcendi, & cùm ex civibus, tùm exteræ nationis, cujus & fides ſpectata, & cognita virtus, [c] hominibus ſatellitium corporis firmum conſtituendum eſt [d] Uti verò externa hoſtium vis hominum auxilio; ſic iſta, qvæ veneno paratur, partim ſæpius ſumto antidoto [e] præcavetur, partim etiam obſervatis illis prudentiæ regulis, qvæ Medicus excellens, ſummus Politicus, Ludovicus Septalius [f] egregiè præſcribit, qvodammodò evitatur.

(a) Si-

(a) *Sicuti malus cuſtos diuturnitatis metus, ita contrà benevolentia fidelis ad perpetuitatem.* Cic. l. 2. offic. Arma *enim* armis irritantur; verùm ſi qvis undiqve ſeptus fuerit charitate & amore, hic fruſtra ſibi timet. Plin. Panegyr. *Ut merito dixerit* Senec. l. 1. de Clem. Amorem populi eſſe cuſtodiam inexpugnabilem, Vid. Septal. de rat. Stat. l. 2. (b) *tradente* Dione Casſio l. 55. Hiſt. (c) *Conſiderandæ ſiqvidem ſunt virtutes & vitia, ad qvæ natura loci & cœli clima homines proclives fecit, indeqve, qvid expediat, capiendum conſilium. Fieri enim haud poteſt, qvin aer, aqva, & cibus diverſus alteret corporis, ſangvinis & ſpirituum temperiem. Propriam autem uniuscujusqve gentis indolem cùm hîc recenſere nimis longum foret, conſul. de iisdem* Alex. ab Alex. genial. dier. l. 4. c. 13. *imprimis autem* Chriſtoph. Beſold. Tr. ſing. & eleganti de Natur. Popul. Add. Petr. Gregor. Tholoſ. l. 4. c. 4. de Rep. *qvi tamen & illud addit*: generaliter iis fidem non eſſe adhibendam, eò qvod confecta ſint ſœpius peculiari contra nationes odio ſcribentium vel temeritate judicii. Condit. de fid. polit. l. 1. c. 6. Barclaji Icon animorum. *Hinc cùm* nulli mortalium armis aut fide ante Germanos ſint, Tacit. Ann. 13. c. 54. *& olim Cæſares Augusti eorum operâ in cuſtodiis uſi leguntur, annotante* Nobiliſſ. Im Hof Rat. Stat. 32. *& hodie potentisſimi Europæ Principes Germanos, inſigni ad omnem poſteritatem fidei & fortitudinis teſtimonio, ſibi ad præſidium corporis ſatellites potisſimùm eligunt.* (d) *Cùm igitur neceſſarium & rationi conſentaneum ſit, ut ait* Ariſtot. l. 3. & 5. Polit. *Principem ſatellites alere, cuſtodesqve armatos, tàm ad ſubditos in officio continendos, qvàm etiam ut contra vim apertam occultasqve hominum privorum & ſubditorum ſeditioſorum inſidias ſe defendat; de qvo vid.* Im Hof. Rat. Stat. 31. *qværitur: utrum civibus, an externis militibus corporis cuſtodia committenda? Et licèt illos qvidem natura videatur adſtringere ad fidem, hos ſaltem numeratum ſtipèndium & collata beneficia; tutius tamen hanc curam demandari exteris*, Clariſſ. Septalius l. 2. de rat. Stat. c. 5. *arbitratur; qvod ſi obſervaſſet* Darius, ab Alexandro M. *devictus, non tàm indignâ tanto faſtigio morte ſuorum ſcelere occubuiſſet* Curt. l. 5. c. 11. & ſeq. h. l. *Ego hac in parte ſententiam laudati* Im Hof. Rat. Stat. 32. *ſeqvor, & compoſitum ex utrisqve ſatellitium exiſtimo optimum. Vid.* Heider. Pol. c. 5. p. 709. & Gro-

& Grobendoncq, de Ortu & Progreſſu Spir. polit. L. 10. n. 545. ſeqq. (e) *Sic* Mithridates Ponti Rex, exqviſitis tutioribus remediis adverſus veneni inſidias, ita ſe ſtagnavit, ut ne volens qvidem ſenex veneno mori potuerit. Juſtin. l. 37. c. 2. (*f*) l. 2. de rat. Stat. c. 6. cui add Im. Hof. Rat. Stat. 33. *Verùm utcunqve fuerint iſta remedia à ſumma prudentiâ profecta, ejuſmodi tamen ſunt, ut niſi ſupremus ille rerum Arbiter Principes, qvos ſuas in terris gerere vices voluit, ſecuros inviolatosqve praſtet, diligentia & cautio omnis contra hos inſidiarum dolos vana ſit ac inutilis. Pulcherrima eſt Philoſophia, qvam hic expediunt civilis prudentiæ magiſtri, non ex Sacrarum modò literarum monumentis, ſed ex profanâ qvoqve omnis ævi hiſtoriâ, ſapientumqve auctoritate docentes, peculiarem planè Numinis providentiam non conſtitutionem ſaltem Principum, ſed ſanctam qvoqve auguſtamqve ipſorum conſervationem moderari. Legatur celeberrimus* Bœclerus, in de Auſpicio regio eruditâ diſſertatione, & Joh. Frid. Hornius de Civitate l. 2. c. 1. & 4.

THESIS XXVIII.

QVantæ qvoqve perniciei auxilia peregrina eſſe ſoleant, ſuperius abunde explicatum arbitror.[a] Qvod ſi jam ejuſmodi incidant tempora, qvibus propriis viribus Imperii majeſtas ſervari & defendi neqvit, qvæ adhibenda in arceſſendis militibus externis ſolertia ſit, paucis inqviram. Principio videndum, ne auxiliares copiæ ſuperent numero civium noſtrorum exercitum, atqve victoriæ ſpem, & belli eventum in ſuâ manu poſita videant.[b] De-

inde,ne adminiſtratio rei militaris ab illarum voluntate pendeat,ſed, ſi fieri poteſt, civium fidisſimi habeantur Duces, cautio erit. Tandem ad præſidium munitarum urbium aut Regni clauſtrorum non admisſis omnis violandæ fidei occaſio præcidatur. c

(a) *Factum hoc theſi 12. cui addi poſſunt* N. Machiavel. diſcurſ. de Rep. l. 2. c. 20. Petr. Gregor. Tholoſ. de Rep. l. 11. c 3. n. 4. 5. & 6. Arniſ. Doctr. pol. l. 2. c. 4. p. m. 505. *Et vel unicum Britonum occaſione ferendi auxilii à Saxonibus devictorum exemplum, de qvo* Witichind. Ann. Sax. l 1. p. m. 2. *documento ſit, veriſſimum eſſe* Boxhornii l. 1 Inſt. pol. c. 11. §. 11. *judicium*, non niſi urgente ſummâ necesſitate externa auxilia admittenda. (*b*) Id enim, *inqvit Liv l. 25. c. 33.* cavendum ſemper Romanis Ducibus erit, exemplaqve verè pro documentis habenda, ne ita externis credant auxiliis, ut non plus roboris, ſuorumqve propriè virium in caſtris habeant. *Perfidiam ſiqvidem Celtiberorum. à Romanis ante prælii congreſſum diſcedentium, Carthaginenſibus vincendi locum dediſſe, eo loco commemorat. Sic Tamerlanes qvoqve, dum Tartarorum Ducem occultis nunciis pellicit, ut à Bajazethis exercitu, cujus tertiam conſtituebat partem, ad ſua caſtra tranſiret, ſuperior extitit. Vid.* Bœcler. diſſert. de Hiſtor. Timuri. *Hinc etiam videntur Turcæ exercitûs ſui robur in Janitſaris ponere, auxiliorum multitudine prædandi populandiqve cauſâ ſaltem adſcitâ, ne qva ſeceſſio aliqvando contingens fortunam belli inclinet.* Auct. Miniſt. Card. Richel. pol. rem. l. 14. c. 3. (*c*) *Vid.* Boxhorn. Inſtit. pol. l. 1. c. 11. §. 9. & 12. Fornſtn. l. omiſſ. 6. *Erraſſe proinde conſtat* Fridericum *Neapolit. R. dum Gonſalvo* Ferdinandi *R. Duci ſecuritatis cauſſâ oppida Calabriæ tradidit.* Auct. Arc. Hiſpan. dom. cap. 20.

THE-

THESIS XXIX.

COngreſſus & Colloqvia Principum cùm & pacis tempore aliqvando minùs expedire, prudentioribus videntur, [a] tùm verò præcipue cautione ſummâ indigent, ubi inter disſidentes bellorum exiſtunt incendia. [b] Iſtud enim, dicente T. Qvintio, par omnibus periculum, qvi cum hoſte congrediuntur ad colloqvium, ut nulla fides ſit. [c]

(a) *In genere vitanda Principibus colloqvia, & per Legatos potius ea, qvæ neceſſe, peragenda, imprimis qvando de Pace, aut fœderibus, aliisqve negotiis ad Regni utilitatem pertinentibus Transactiones inſtituuntur.* Cominæus l. 2. & 3. comment. de reb. geſt. Lud. XI. p. m. 58. & 90. *cui tamen ſubtiliorem diſtinctionem addit* Cl. Forſtn. ad An. Tac. 15. c. 29. *(b) Exempla eorum, qvibus colloqvii ſpecie impoſuit fallacia hoſtium,* Theſis 13. lit (g) *ſuppeditat. Vid.* Im-Hof. diſcurſ. milit. 15. *Qvod ſi tamen capita belligerantium deſcendere in colloqvium neceſſe ſit, mittendi certi homines, qvi, utrum locus inſidiis vacet, numve ſub veſtibus abſcondita fortè lateant arma, aut tales adducantur perſonæ, qvarum alienus à colloqvente Principe, aut turbulentus animus, & ſuſpecta fides eſt, perſcrutentur, qvo facto ſtipati ab utrâqve parte pari armatorum militum cuſtodiâ congrediantur, ſi fieri poteſt, in ripis fluminum, pontibusqve ad ſecuritatem præparatis. Sic* Cerialis & Civilis *adverſarum partium Duces, ſciſſo Vabalis fluminis ponte, in ejus abrupta progresſi colloqvuti ſunt.* Tacit. Hiſt. 5. *c. 26. Et Pedemontii Princeps locum Colloqvii cum* Richelio *in ponte Beauvoſini conſtituebat.* Auct. ejusd. miniſt. l. 7. c. 8. *Vid.* Forſtn. ad An. 2. Tacit. p. m. 175. *Qvæ præterea monita Principibus, eorumqve adminiſtris in familiari cum aliis converſatione præſcribuntur ex morali Philoſo-*

phiâ, illa in his ſeriis congreſſibus non eſſe negligenda, prudentia ſuadet. Vid. Generoſiſſ. Dn. â Seckendorff in Teutſchen Fürſten-Stat/ P. 2. c. 7. l. 2. p. 175. ſeqq. (c) Liv. l. 32. c. 32.

THESIS XXX.

ISTas deniqve technas, qvas ſuppoſitiis Principibus nectit fraus hoſtilis, cùm experiendo cognitum ſit haud diuturnas eſſe, & ficti ſaltem Balduini, Flandriæ Comitis, hiſtoria, [a] qvàm facilis veritatis ſit indagatio, teſtetur, multa de remediis dicere ſupervacuum cenſeo. Cœterùm hæc ſunt, B. L. qvæ de callidis mihi hoſtium conſiliis, eorundemqve evitandorum remediis ex Civilis prudentiæ Auctoribus haurire licuit. Plura eqvidem, qvæ limatius judicium, ſingularem in adminiſtratione rerum civilium uſum deſiderant, ſupereſſe non ignoro: qvia tamen talia â tenui ſtudiorum meorum ratione proficiſci minimè poterant, inſtituti ſimul mei, & ne juſtæ Diſputationis modum Diſſertatio, jam tùm facta longior, excederet, habenda erat ratio, hîc deſino, rogans, ut hunc conatum meum æqvi boniqve

con-

conſulere velis. Supereſt demum, ut illum, cujus auſpiciis bene atqve feliciter hunc laborem ſuſcepi, pro conceſſo auxilio devotâ mente colam: Tibi igitur, ÆTERNUM NUMEN, immortales nuncupo gratias.

(a) *Qvam commemorat* Forſtn. ad l. 5. Ann. Tacit. p. m. 466.

Ad Praeximium, literisq; pariter & moribus politiſſimum Juvenem,

DN. FRIDERICUM JACOBUM LEICKHERUM,

Optimi Patris filium optimæ ſpei,

Amicum ac Convictorem hactenus ſvaviſſimum,

publicè cum laude diſputantem!

QVemadmodum honeſtis & optimi nominis Parentibus naſci, haud minima felicitatis humanæ pars eſt, ita nec minor ad gloriam in hâc mortalitate comparandam gradus cenſendus, qvando liberi Majorum virtutes & laudes veluti in ideâ ſibi imitandas proponunt, omnemqve movent lapidem, ut has ipſas, ſi ſuperare non licet, qvàm proximè tamen attingant. Et qvamvis illa, qvæ ex ſolâ naſcendi ſorte dependet gloria, magis fortunæ ſit,

 qvàm

qvàmſarbitrii noſtri, ita ut propria Virtus citra Avorum inſignia & clypeos laudem mereatur, multum tamen lucis virtuti & laudi liberorum accedit, ſi honor paternus inſtar duplicati ſpeculi in illis reviviſcit, & radiis qvaſi geminatis ipſius familiæ ſplendor in poſteris magis magisqve reſplendeſcit. Utramqve, laudem, mi LEICKHERE, videris mihi facilè conſeqvi poſſe, qvando laudum paternarum cumulum, qvi in ſplendidâ Electorali Aulâ Saxonicâ & pasſim per orbem literatum ſe diffundit, meritò tuum facis, tanqvam Virtutum paternarum hæres atqve æmulus in hâc ſemitâ literarum ipſe ſedulus procedis, qvæ ad ſumma qvæqve honoris faſtigia ducere ſolet. Nec verò hactenus, qvamdiu larium menſæqve meæ particeps fuiſti, vitæ ſolùm probitati ſtuduiſti, ſed & literis eâ, qvâ decet, induſtriâ invigilâſti. Et ad nutum qvidem Patris optimi & ductum non illotis manibus, nec ſine iis ſtudiis, qvæ Themidi inſerviunt, & qvæ partim in hiſtoriarum, partim civilis doctrinæ cognitione conſiſtunt, ad Jurisprudentiæ Scholas accedere voluiſti. Prudenti ſanè conſilio, cùm qvotidiani & infelices multorum juvenum in ſtudio hoc arduo Juris ſucceſſus ſatis ſuperqve doceant, qvàm malè rebus ſuis conſulant, qvi ſine talibus principiis ad Juſtitiæ ſacraria anhelant, & cœco qvaſi impetu prorumpunt. De Te ut meliora ſperemus, præſens non inelegans in civili prudentiâ jam qvod edis ſpecimen ſvadet. Faxit æternum Numen, ut his benè jactis fundamentis ea ſuperſtruas & inædifices cum die, qvæ Reipubl. uſui, Familiæ ſplendori, Magnifico Dn. Parenti gaudio, Tibi verò cedere posſint perpetuæ felicitati. Dabam è Muſeo raptim ipſis Calendis Maji, A. O. R. M DC LXXV.

WERNERUS THEODORUS MARTINI, D. P. P.
Ser. El. Sax. in Supr. Appell. Jud. Conſiliar.

CHRI-

CHRISTIANUS Röhrenſee/
Phil. Pract. P. P. & h. t. Facultatis ſuæ
DECANUS,

Virtute ac Eruditione florentisſimo
JUVENI
FRIDERICO JACOBO LEICKHERO,
SUO

S. D.

VIno vendibili non opus eſſe ſuſpensâ hederâ, vetus Comici ſententia eſt. Mihi qvoqve eundi in laudes Tuas, tametſi materia ſuppetat amplisſima, eâ tamen in re hoc minùs mihi laborandum erit, qvò efficacius Te mores Tui, & erectior indoles, & vigor ætatis per omnem honeſtarum artium cultum transactæ, &, qvod caput rei eſt, Magnifici Parentis præclara in Remp. merita ſummis commendant viris, ac tradunt penitus. Qvæ formæ ſuæ diffidunt mulierculæ, ſolent aliunde advocare qvoddam qvaſi pulchritudinis lenocinium. Tu nihil indiges aſcitæ laudis, ſed nativis dotibus Tuis appares venuſtior, & honeſtè de Te ſentientium judicia plurimùm ſuperas. Qvare id mihi demum relictum negotii intelligo, ut voto proſeqvar inſtitutum Tuum, qvo in nobilisſimâ civilis prudentiæ materiâ ingenii vim periclitatus es; & Numen Benignisſimum poſcam devotus, ut orſis tantis ſucceſſus proſperos elargiatur. B. V. Scrib. è Muſeo, ad d. V. Maji. A. E. C. cIↃ IↃC LXXV.

Ad

Ad

Florentisſimum

ac ſorte naſcendi atqve ingenio peregregium

JUVENEM

DN. FRIDERICUM JACOBUM LEICKHERUM,

CONRAD SAMUEL SCHURTZFLEISCH, P. P.

DUdum mihi carus es cùm propter ſumma Patris merita, tùm propter tuam ipſius laudem, qvæ ita qvotidie hic eniteſcit, ut non minorem fructum voluptatis tibi, qvàm lætitiæ mihi afferat. Nam qvantum abis â degeneri animo, tantum accenderis, non dico ad imitandum, ſed ad aſſeqvendum paternum decus. Haud ſecùs, atqve ſolent ardentes erectiqve ad gloriam juvenes, qvi multâ ac magnâ animi contentione id agunt, unde dignitas atqve ornamenta plurima in ipſos proficiſcuntur. Itaqve rem Te dignam ſuſcipis, ac induſtriæ vigiliarumqve præmium expectas, qvando nec frigido, neqve inerti ſtylo delectatus es hactenus, nec niſi egregiis & cum Reipublicæ commodo conjunctis rebus ſedulitatem tuam occupâſti. Qvod uti benè Tibi ac proſperè eveniat, & ut Patris in Te expreſſam imaginem poſteritas videat, opto, nec qvidqvam magno Patri, neqve Reipublicæ, cui idoneas firmandæ felicitatis rationes ſuppeditas, optatius accidere unqvam poteſt. WITTEBERGÆ ex Muſeo III. Maji ANNO cIↃ IↃc LXXV.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE